DE ARTE SANCTITATIS
SEU
VIRTUTIBUS
SOLIDIS
OPUSCULUM.



A

R.P. ADALBERTO TYLKOWSKI
Societatis Jesu Theologo

Publico bono propositum.

Cui in fine adjecta
Aurea Monita S. Philippi Nerei.

Cum facultate Superiorum & Privilegiis.

Typis Monasterii Olivensis S. Ordin. Cist.
Aõ .M. DC. LXXIV.



EPISTOLA DEDICATORIA.

Ad REVERENDISSIMUM Patrem

P.F. GABRIELEM BOZEY,

S. Ordinis Cistercienſis Profeſſum, S.T.D. & Secretarium.



Iſi ego probè ſcirem, ab iisdem maximè Sanctitatem æſtimari, à quibus maximè exercetur nunquam coram Te Reverendiſſ. Pater cum iſto de Arte Sanctitatis *Opuſculo comparerem. Quid enim eſſet illi Artem Sanctitatis offerre, qui annis pluribus in ſuo Ordine Sancto*

Magister extitit Sanctitatis? Quid inquam, illi scriptum de Virtutibus solidis consecrare, cujus Ordo monti solidissimo, Matri scilicet immutabilis Dei ita innixus est, ut Pontifici cuidam, ejus firmitatem rimanti, denunciari jusserit. Tu Ordinem Cisterciensem, cujus Advocata ego sum, destruere conaris? sed non praevalebis, & nisi citiùs de Tuo malo resipiscas, ego te & omnem tuam potestatem conteram. Civitas est supra firmam petram posita, Tuus sanctus Ordo quem non venti concutere, non flumina subluere possint. Tu ipse etiam tuam soliditatem ita probas, ut in omni gradu ac dignitate Sancti Ordinis tui, ita egisse fueris judicatus, ac si ad eum solum factus esses, semper immotus. Semper tranquillus semper inconcussus. Et certè si quae est solida virtus, illa haud dubiè quae nullam alieni admixtionem patitur, pro hac verò testimonium cœlum Vobis dedit, cum vos prodigioso candore vestium, miraculo certè inusitato,

usitato, vestivit, ut cælum pro candore vestræ sanctitatis se omnib. Vadē exhiberet. Tua verò Pater Reverendiß. particularis Virtus toties candidum à tota sua S. Religione calculum tulit, quoties ad honores & dignitates, non tam vocatus, quàm deportatus es invitus. Hæc qui respicit, fortè in meo isto facto quandam audaciam, quàm maturum interpretabitur Consilium. Verùm, & arma si militi offeras, & studioso librum, & artifici illius artis instrumentum, minimè rem temerariam agas. Nullibi verò sermo de Virtute magis in pretio, quàm ubi virtus in usu continuo versatur: Nullibi major cupido est illorum per quæ acquiritur, quàm ubi jam in possessione tenetur. Proinde omnia illa argumenta quæ contra me esse poterant, pro me militant. atque ita Magistro sanctitatis instrumenta Sanctitatis liberè offero: Ordinis solidißimi Professo virtutes solidas, Candidißimo, puras. Admitte munus Religiosum

 &

& hilariter in manus Tuas recipe, & per hoc illi ultimum, quo caret, complementum adjice: nimirum, doctrinæ de virtutibus manus esse alacriter ad movendas.

Vilnæ 18. Iulii
Anno 1673.

Reverendiſs. Paternit. Tuæ

addictiſsimus

ADALBERTUS TYLKOWSKI
Societ. Jeſu.



APPROBATIO ORDINARII.

Imprimatur.

N. SŁUPSKI.

E. G. A. E. V. S. V.



S. CHRYSOSTOMUS.

Indignantur homines tam parum laborare, ut virtutem posſideant, cujus tamen tam utilis eſt poſſeſsio. Quod ſi ſcirent, improbi in hoc vitæ curſu nihil bonum niſi virtutem ſolam; non pecunias, non ſanitatem, non potentiam, non aliud quippiam: nihilque malum in hac vita niſi improbitatem & malitiam animi; non paupertatem, non ægritudinē, non contumelias quæ horribilia eſſe putantur; non ita animum abjicerent: non ita de rebus humanis ſtatuerent.

Chryſoſt. Orat. de provident.

SERIES

SERIES CAPITVLORVM hujus Opusculi.

XI. Me-

XXV.

SOLI DEO GLORIA.




S. AMBROSIUS.

Nulla est sine labore virtus, quia labor processus virtutis est.

S. Ambr. lib. 2. de Cain & Abel. c. 2.

HESIODUS.

Ad vitium facilis, vicinaque semita cunctis
Panditur, at virtutis iter posuere remotum
Coelicolæ, durumque prius, sed vertice summo
Dum fuerit, palam se offert quærentibus illud.



DE AR-

DE ARTE SANCTITATIS
Seu
SOLIDIS VIRTUTIBUS OPUSCULUM.

Quæ ſint ſolidæ virtutes, & quibus parentur inſtrumentis.

CAP. I.



Olidæ ſunt virtutes, quæ hominem in Evangelica perfectione conſtabiliunt. *Eſt autem perfectio: ut nobis, mundoq; mortui, DEO vivamus.

Illa autem duabus conſtat partibus. Una amorem noſtri, & creaturarum abnegat, & mortificat: Altera, ita Deum in DEO diligit, ut unus ſpiritus fiat in eo.

Et prior quidem pars abnegat, & mortificat.

1. Sui æſtimationem humilitate.

2. Fortitudine,& patientiâ naturalem noſtri amorem, ob quem triſtia, adverſa, ardua,terribilia reformidamus.

3. Paupertate affectum terrenorum bonorum.

4. Caſtitate concupiſcentiam carnis.

5. Obedientiâ Amorem libertatis, voluntatis, & judicij noſtri.

Adhæc autem quinq;, virtutes reducuntur cæteræ, quæ inordinatos alios affectus mortificant, atq; abnegant.

His adde charitatem,quæ eſt vinculū perfectionis,& pertinet ad perfectiorem ejus partem tanquam ad ſummam arcem totius Chriſtianæ juſtitiæ.

De his igitur ſex virtutibus hic erit agendum. Harum, ſicut & aliarum virtutum, tria potiſsimum ſunt inſtrumēta.

1. Eſt Conſideratio, ac Meditatio earum rerum, quæ ſolent, ac poſſunt

ſunt in voluntatibus noſtris ingentem ſingularum virtutum amorem, ac ſtudium excitare.

2. Eſt ſuppliciter eas petere à fonte bonorum omnium: nam Meditationes aliqualiter, & remotè diſponere poſſunt materiam, formam vero Deus introducit.

3. Eſt frequentia operum, quæ ſingulis ſunt propria virtutibus, inde namq; aliquis generatur habitus.

Supereſt jam, ut modum tradamus apte, & utiliter tractandi hæc inſtrumenta ut per ea virtutes ſolidas conſequamur.

Et ut à primo inſtrumento fiat initium, virtutibus ſingulis aſsignandæ erunt propriæ Meditationes, exordio ſumpto ab Humilitate virtutum omnium fundamento.

Meditationes quæ nos humiliant ſub DEo.

CAP. II.

HUmilitas primum ſub Deo, deinde ſub proximis noſtris nos humiliat, ac proſternit utramque partem docet S. P. Ignatius in Exercitio ſecundo de peccatis puncto quarto, & quidem in perfectiſsimo quodam gradu, ac de hoc ſic loquitur.

Cognoſcendum eſt quis ſit Deus, quem ego offendi, collectis, comparatisque perfectionibus attributis DEo, ut proprijs cum oppoſitis noſtris vitijs, atque defectibus: ſummam ſcilicet ejus potentiam, ſapientiam, bonitatem, & juſtitiam, cum mea extrema infirmitate, ignorantia, & iniquitate conferendo.

Hæc vero comparatio, quæ totius eſt Humilitatis fundamẽtum copioſè poſſet dilatari, at propoſito noſtro ſatis erunt ſequentes Meditationes;

Primò. Deus non ex alio eſt, ſed ex ſe omnis ſubſtantiæ pelagus, quare dixit Moyſi *ego ſum qui ſum*, *& ego oſtendam omne bonum tibi.* Homo

Homo autem ex se ipso nihil est, ex nihilo creatus, & in nihilum redit; si à Deo non sustineretur etiam in nihilũ redigeretur. Insuper nihil est, quia ingratus est erga eum, per quem est quicquid est. Ideo Apostolus verè ait: *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.*

Secundo. Dei sapientia, Potentia, Bonitas, Charitas, Simplicitas, Justitia, Misericordia, Beatitudo, Opulẽtia, cœteræq; perfectiones usque adeò super nos eminent: ut quæcunque sunt à nobis bona, umbra, scoriæ, sputa, feces videantur: admista etiam imperfectionibus multis.

Nam quot in scientia nostra latent errores, & tenebræ? quantæ servitutes in libertate? quot dolores in consolationibus? quot infirmitates in fortitudine? quot miseriæ in aliqua felicitatis aura? quot indigentiæ in opulentia? quot deformitates in pulchritudine? *O Domine, dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos?*

Tertio. Divinæ magnitudinis nullus eſt finis, ut poſtquam meditatione plura ſpatia confeceris, in immenſum plura ſuperſint adhuc quam emenſa ſint.

Ego vermiculus quantus ero ſi me comparo cum populo unius civitatis, aut Regni, aut Europæ, aut cum omnibus hominibus, qui ſunt, fuerunt, aut futuri ſunt? Vix atomus videbor comparatus cum mari, aëre, cum Cœlo, cum exercitibus Angelorum; quid cum incircumſcrip ta ſubſtantiæ tuæ Deus immenſitate? verè *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te!* Omnes omnium creaturarum ſubſtantiæ ſi eſſent voces, & cymbala in tuam laudem reſonantia, vix ante te eſſent folium crepitans in vaſto nemore.

Quam admirabilia ſunt opera Dei!

1. Ex nihilo creare.
2. Pugno cœlum concludere.
3. Terram digito ſuſtentare.
4. Providere omnibus creaturis.
5. Juſtificare.

6. Dam-

6. Damnare.

7. Glorificare.

8. Miraculis leges naturæ commutare, & alia.

At, *quis noſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* ne manum quidem, aut pedem, niſi Deo movente nobiſcum, movere poſſumus. Qualis eſt hic ſervus qui nec Domino, nec ſibi quicquam miniſtrare poteſt, niſi Domini bracchio adjuvante.

Quinto. A ſæculo, & usq; in ſæculum tu es Deus. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Et, apud te non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obrumbratio.

At, *homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis: qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.*

Brevis Meditatio mortis.

CAP. III.

QUoniam DEI æternitati opponitur variabilitas vitæ noſtræ, conſide-

randum est. 1. Quam pudenda fœditate homo generetur, nascatur, educetur.

2. Quot vitæ calamitates, & timores. Nullus sua sorte contentus, quia quilibet stat9 est gutta mellis in absinthij gurgite.

3. Veniamus ad exitum, quid certius, quid incertius mortis horâ, & loco? totâ vita itur ad mortem, cum ejus pavore vivitur perpetuò in omni loco, in omni tempore impendet capiti nostro ensis de cœlo: imò tot enses, quot creaturæ.

Omnes quasi armatæ in ultionem Creatoris: atque ideo omnes possunt, ac subinde solent occidere hominem.

Progrediens ex utero matris tanquam ex carcere condemnationis suæ, inde enim trahit originale peccatum, ob quod damnatus est ad mortem, egreditur tanquam trahendus ad patibulum, præcedit Præco sententiam inclamans. *Statutum est hominibus semel mori.*

Ipsemet reus defert tanquam inscriptam pectori causam damnationis suæ,

circum-

circumferens mortalitatem ſuam tanquam teſtimonium ſui. Circumſtant creaturæ omnes tanquam carnifices parati ad primam vocem Judicis. Tonitrua, peſtes, fames, terræmotus, procellæ: ſunt tanquam tubæ quæ præcedunt miniſtros juſtitiæ, & mortem denuntiant. Omnes tandem perveniemus ad lectulum mortis naturale, tanquam ad patibulum ſuſpendij.

Quot angores, quot timores, impendentium malorum? quot dolores relinquendorum bonorum? quot tunſiones conſcientiæ! *O mors quam amara eſt memoria tua, homini habenti pacem in ſubſtantia ſua?*

4. Quid de ſepultura? *Putredini dixi Pater meus es tu, mater mea, & ſoror mea vermibus.*

Hæc ſunt inſignia gloriæ noſtræ, ut mors pro gemmis & annulis, ut nuditas pro purpura & holoſerico, terra putris pro mollibus ſtratis, fetores pro odoramentis,

mentis, tumulus anguſtus pro palatijs, conculcari pedibus ſuper ambulantium pro tribunalibus, conſortia mortuorum pro amicorum convivijs, eſſe in oblivione bonorum; pro tot applauſibus & acclamationibus. *Quid ſuperbis terra, & cinis?*

Ultima Compoſitio hominis cum DEO.

CAP. IV.

PRimò. Dei voluntas, & ſapientia lex eſt æterna, forma rectitudinis, libra juſtitiæ, impollutæ innocentiæ ſanctitas.

At homo in iniquitate concipitur. Bibit ſicut aquam iniquitatem. Poſternitur ſub omni ligno frondoſo; & fronte quadam meretricis nullū ſcelus erubeſceret ſi poſſet, aut ſi non timeret, aut ſi DEI manu non retraheretur.

Secundò. Peccando rebellat, à ſuo Rege ſubditus, ab hero mancipium, à magiſtro diſcipulus, ingratus à ſuo benefactore,

factore, ovis à paſtore, opus ab artifice, ſponſa à ſponſo, filius à patre. Et quia gravitas offenſæ ab officij dignitate menſuratur, ſicut infinitæ ſunt in Deo perfectiones, ita cujusque peccati eſt aliquomodo infinita perverſitas, nullis tormentis, quibus cruciari poteſt peccator expiabilis. Facilè eſt inopi modicâ facula incendere palatium theſauris plenum, at quando reſtituet tantùm incendium?

Tertio. Deus quidem in ſe ipſo injuriæ eſt incapax.

At ego quantum in me fuit abſtuli à Deo regnum, quia aufferre illi non ſum veritus titulum ultimi finis: nam hunc in carne, & ſanguine poſui. Sapientiam, ne mea delicta videret; Juſtitiam, ne punire vellet: Potentiam, ne poſſet. Dereliqui fontem aquæ vivæ pro vili ciſternula. Inſpirationes, ſtolam innocentiæ, indumenta ſalutis, gemmas gratiarum, monilia virtutum abjeci pro ſi liquis por-

porcorum. Quomodo tot iniquitatis meæ fœtores ſuſtinere poſſum?

Quartò. Impinguatus, incraſſatus, dilatatus recalcitravi, pugnavi in benefactorem meum, non alijs armis, quam ejus donis. Nam voluntas, ſenſus, membra, uſus rerum quibus peccavi, dona Dei ſunt. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi vero ſpreverunt me!* & ubinam ſprevi? In ejus Regno, Caſtris, Domo, conſpectu. *Etiam Reginam* (dixit Aſſuerus) *vult opprimere me præſente?* cur non omnia quæ fecit Deus, vindictam de me ſumunt; aut totidem jacula non irruunt in caput meum? Quis Dæmonum impetum adhuc reprimit? idem qui læſus eſt.

Quintò. Ordinatione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi; ut quâdam ſtateræ normâ dimenſæ.

Homo ſolus in tanto rerum ordine chaos inducit, nec audit tot creaturarum voces ad obſequiumCreatoris invitantiū; nec videt fulmina Divinæ juſti-

tiæ,

tiæ, quæ vibrantur in ſcripturis etiam adverſus ſanctos, ut Moyſen, & Davidem, ob eſum vetiti pomi quot miſeriæ in Adam, & in poſteros? ob unum delictum quot principes & poteſtates à ſummo ad imum ruerunt. Cadentibus cedris libani, quid faciet hyſſopus, & myrica deſerti?

Quin etiam quoniam filius ejus peccata mea ſuſcepit expianda; Nec proprio filio pepercit, ſed eum tradidit in ſupplicium omnium atrociſsimum. *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?*

Humilitas erga proximos.

CAP. V.

USque adeo voluit S. P. Ignatius nos humiliari ſub proximo, ut quilibet alios omnes ſibi exiſtimaret ſuperiores juxta illud, *Humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* Et, *Chriſtus venit peccatores ſalvos facere quorum primus ego ſum. Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter DEum. Vade, & recumbe in noviſſimo loco.*

Hoc pleriq; Sancti dixêre. Et verè dicere se putabant. Ad quem humilitatis gradum, duabus possumus Considerationibus adjuvari.

Consideratio Prima.

Distingue in corde tuo duo cubicula, in uno repone omne malum, ut, nihil, inhabilitates omnes, delicta & tormenta omnia, quorum hominis vita capax est. Hæc omnia tua sunt tibi.

In altero colloca quicquid substantiæ, habilitatis, virtutis, gratiæ à Deo accepisti, ac propterea non tua sunt ex te, sed Dei in te. Ad posterius cubiculum nunquam respicias, nisi quando velis in te ipso vel gratitudinem in DEI laudem, vel confidentiam contra pusillanimitatem, vel magnanimitatem in fortiter obeundis periculis, & ministerijs pro salute proximorum. De reliquo oblitus posterioris cubiculi, ac si ad te non pertineret, totum in priore defigas obtutum, idque duabus de causis.

Prima. Quia in illis requirendis bonis tam parum de tuo appoſuiſti, ut vix tua ſint: nam ſi naturalia, vel gratuita ſunt, in utrisque penitus plurima à Deo ſunt: ſi in aliquibus tua etiam voluntas concurrit; quot iſtam Deus præparavit, & allexit illuminationibus, & flagellis? quanti conſtitit Chriſto? & tempore, quo vocatus es ad ſalutem, quæ potius tormenta non merebaris?

Secunda. Quia tam corruptæ naturæ es, ut de tuis bonis tantiſper cogitando, ea polluas non parum, vel opinando eſſe majora quàm ſint, vel complacendo tibi, vel alios poſthabendo, vel tepeſcendo in bono, tanquam ſatis multa jam paraveris, vel uſurpando tibi neſcio quam gravitatem, ut non facile movearis obedientiæ ductu. Hæc & alia mala caveri non poſſunt aliter, quàm, & perpetuá tuorum bonorum oblivione, ac ſi non magis tua eſſent, quàm Indorum prælia: & perpetuâ erubeſcentiâ de tuis

peccatis & defectibus, dicendo cum Davide: *peccatū meum contra me est semper.*

Consideratio Secunda.

Primo. Quia & Philautia non sinit te esse bonum Judicem in causa tua, & eorum quæ videntur in proximis valor pendet ex eorum cordibus, quæ nescis: nec vides, quibus aut visitationibus visitentur à DEo, aut pœnitentijs eluant quæ peccant, aut præparationibus animi sint ad martyria, aliaque ardua, quàm tu promptiores. Et si tu in aliquo excellis, in multis potes esse deterior, & si forisvidearis magis vacare Deo, quid si tua etiam indigentia major est & pluribus eges remedijs, quia pluribus morbis laboras, vel majora debita contraxisti?

Secundo. Etiam si scires tua bona alienis esse potiora, nulli tamen præferre te debes, tum quia prædestinationis ignoras exitum, & forsan ad horam nunc gaudes, alter in perpetuum: tum quia gra-

gratiora ſunt Deo modica bona humiliantis ſe, quam grandia tumeſcentium, qui propterea facile ruere permittuntur: tum quia ſi gratias tibi collatas habuiſſent meliùs uſi forſitan fuiſſent,& ſi tibi minus gratiæ datum fuiſſet, graviora perpetrâſſes quam alij: tum quia alia ſunt judicia Dei quam hominum, nam etiam *ſtellæ non ſunt mundæ coram eo. Et in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Et, *omnes juſtitiæ noſtræ, pannus menſtruatæ.* Et, *in omnibus deficimus omnes*, & in pluribus quam putemus. Qui quotidiani lapſus eò magis Deo diſplicent, quò majoribus donis nos ad ſuam adſcivit amicitiam. Nam, *cui plus datum eſt, plus exigetur ab eo*; *Et ſi inimicus meus maledixiſſe mihi ſuſtinuiſſem utiq; tu vero unanimis &c.* Quare nihil tutius, quam cum Apoſt. ſemper dicere *Chriſtus venit Peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum*, ut inhabitet in nobis virtus CHRISTI. Cujus humilitati, & exinanitioni ſi noſtra conferatur, erit

 ſuperbiæ

ſuperbiæ quam humilitati ſimilior.

De fortitudine Conſiderationes aliquæ.

C A P. VI.

DUæ ſunt fortitudinis partes, una patienter ſuſtinere, quæ vehementer affligunt, aut pudefaciunt: Altera aggredi, & vincere ardua; ac terribilia. Nunc de ſingulis, ac primum de Patientia. Ad hanc vero nos excitare poſſunt hæ Meditationes.

Prima. Degimus in ſtatu pœnitentiæ: itaque ad triſtia, & dura nos paremus, & ad falſas criminationes &c. Nam ſi in quibusdam non deliquimus, de quibus accuſamur: at alia committimus, quorum pœnæ luendæ ſunt. Nos aſſueti injuſtitiæ, Deum quoque putamus oblitum juſtitiæ: ne oderit quæ nobis placent. Similes infami mulieri, quæ poſt publicum adulterium redit ad virum, putatq; ſe tractandam ſicut antea.

Secun-

Secunda. Qui timet pruinam, irruet super eum nix. Colaphum si patiamur, Deum placare possumus in hoc sæculo, quem in futuro multis vulneribus placare non licebit. Proderit igitur hic meditari novissimum diem Judicij, & pœnas Inferni: ut extremam timentes procellam, brevem nunc nebulam feramus haud gravatè.

De Novissimo Die Judicij.

CAP. VII.

QUis potest cogitare diem adventûs ejus? Dies iræ, Dies illa, tribulationis, & angustiæ. Quantus tremor est futurus ad Archangeli vocem, & tubam Dei citantem ad tribunal, & reas animas retrudentem.

2. Quot prodigia de cœlo sursum, & signa de terra deorsum minabuntur interitum; stellæ de cœlo cadentes, rugitus fluctuum maris, terræ motus, cælorum virtutes, cometæ, fulgura, & toni-

trua. Hæc erunt arma ultricia Creatoris, & luctuoſa præſagia morituri patris familias, hoc eſt Hominis.

3. Quot habebimus accuſatores, & teſtes? Dœmones, quibus ſuccubuimus; Angelos quorum cuſtodiam neglexímus, ſanctos ob contemptas eorum doctrinas, exempla, patrocinia: omnia deniq; quæ in mundo ſunt, quibus abuſi ſumus. Proximos, quibus ſcandalo fuimus, ipſi conſcientiæ libri aperientur, revelante Deo illa quorum nos pudebit in conſpectu cœli, & terræ. O confuſionem! in quas nos abſcondemus cavernas?

4. Ex Judicis ore gladius egredietur bis acutus, & eò ſeverior, quô patientior. tot ſæculis arcum tetendit juſtitiæ ſuæ, quâ feriet vehementia? tum fulminabit ex alto. *Ite maledicti in ignem &c.* Ad hanc vocem quantus fiet ejulatus, ac fragor in tota valle Joſaphat? Quo appellandum? quis advocatus? ſuarum voluntа-

luntatum amatores, paternæ impatientes obedientiæ tradentur tortoribus, & inimicis, quibꝰ cum nunquam licebit suam implere voluntatem.

De pœnis Inferni.
CAP. VIII.

QUale tunc erit spectaculum aspicere hinc sanctos cum gloria, & in exultatione in cœlum ascendẽtes cũ Christo, hinc reos innumerabiles subito terræ hiatu absorptos in præceps ad mundi centrum, ut loco etiam longissimè absint à regno Dei, à cujus præceptis voluntate etiam recesserunt longissimè.

2. O teterrimam gehennæ voraginem in qua cruciabuntur oculi aspectu Demonum & tenebrarum objectu.

Aures contumelijs, insultationibus blasphemijs, ululatibus desperantium, & miserorum.

Odoratus fœtoribus, quoniam in Infernum ut in mundi cloacam, & sentinam confluent omnia fœtida. Gu-

Gustus felle, & absinthio.

Tactus per omnia omnibus morborum, dolorumque generibus, quæ experiuntur in hoc sæculo homines, & majoribus. Nam sicut de Beatis in bonum, ita de Damnatis in malum valet illud: *Nec oculus vidit, nec auris audivit. &c,*

3. Quid flammarum clibanus, in quo sicut in mari pisces miseri natabunt? Ignis ille non ut naturæ sed ut DEI instrumentum comburet tanto vehementius, quanto robustiori manu ensis ille vibrabitur: sed plus torquebit vermis conscientiæ, & atrox afflictio spiritûs, cum sua se culpâ, & negligentiâ videbunt demersos in hanc malorum omnium colluviem quam labore modico fugere potuissent, & privatos à summo bono, ad quod totus naturæ impetus tendit.

4. Super omnia torquebuntur æternitate pœnarum, quia postquam mille, & mille annis lugebunt, tantundem lugendum illis superest, quantum antea:

nulla

nulla ſpes, nihil ſolatij doloribus admiſcebitur, ſuccendetur ignis lignis noſtrorum peccatorum conflatus iræ Omnipotentis Dei, quæ nunquam deficiet. *O Domine hic ure, hic ſeca, ut in æternum parcas*, da ut nunc libenter patiar ad horam extremum digiti in aqua frigida, quam æternæ fornacis incendia.

De Gloria Paradiſi.

CAP. IX.

EOs qui perſecutiones patiuntur Dominus conſolatur his verbis: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis* verè copioſa, quoniam *non ſunt condignæ paſſiones hujus ſæculi ad futuram golriam.* Ad conſolationem itaque eorum qui tribulantur, & amaro ſunt animo proderit ſequentia meditari de futuræ Beatitudinis præmio.

1. Quàm felix erit reſurrectionis dies cùm mortale corpus ex vermibus & putredine reſurget ad ſtatum à morte & paſſio-

paſsionibus exemptum? ex infirmitate, & languore ad infatigabilem agilitatem, quia nullo obice volabit ſtatim quo volet: ex opacitate tenebroſa ad claritatem ſolis æmulam, ac pulchritudinem cœlo, & ſtellis formoſiorem? ex perpetua pugna cum ſpiritu ad perpetuam cum eo pacem.

2. Quæ voluptatis exuberantia per ſingulos ſenſus?

Oculi fruentur omni pulchritudinum varietate, quæ in corporibus eſſe ſolet, & poteſt ex varietate colorum, motuum & figurarum.

Auribus inſonabit omnis harmonia ſive inſtrumentorum ſive vocum. Odoratus hauriet omnium aromatum, florum, unguentorum fragrantiam.

In guſtus ſenſum *ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac, & mel.*

Tactus undique perfundetur Empyrei cœli attactu ſuaviſsimo & perpetuâ roris temperie inter roſas, & lilia; concupiſcentia

piſcentia non appetet niſi fructus decoris, & honeſtatis, & quod appetet obtinebit. Iraſcibilis nihil arduum, nihil incerti caſûs timebit, quoniam ſecura ad æternitatis umbram accubabunt conſortia Beatorum.

Quantùm intellectus clare[t] et lumine gloriæ, cujus comparatione caligo eſt ſcientia noſtra, tot comparata laboribus; tot admixta erroribus; in momento tunc pateſcent arcana naturæ & gratiæ, & intuebuntur Beati cumulum bonorum omnium, & pulchritudinem in clariſsimo ſpeculo, videntes quomodo ab uno fonte, creaturæ omnes procedant, ac pendeant ut à ſole radij: Quomodo à Patre filius generetur. Et ab utroque Spiritus Sanctus procedat; Quis amor & complexus Divinarum Perſonarum in admiranda illa unitate. Ceſſabunt tunc providentiæ noſtræ incerta conſilia, & certiori aliâ navigatoriâ pixide curſus noſtrarum actionum dirigetur.

4. In voluntate quanta inundabit alacritas, & extasis amoris ad infiniti boni præsentiam, & sanctorum inter se, & cum Deo amicitia, quæ quidem longè erit ab omni miseria, quam nunc in amicitijs experimur.

Quantus voluptatis, & fruitionis torrens, nullâ admixtus amaritudine, vel anxiæ sollicitudinis, vel indignæ fœditatis, quanta tunc erit libertatis perfectio? Quando non amplius: vitijs quibus nunc agimur serviemus!

Quantus honor, & laus erit in splendoribus sanctorum? Et ex ore Dei cujus nec fallax, nec instabile judicium? Quid solatij ex recordatione præteritorum laborum, & periculorum? Quæ tranquillitas in Regno pacis longe à tumultibus, & deordinationibus, super quas in hac lacrymarum valle gemimus? Quod imperium, & dominatus in omnes creaturas? Anima namque sponsa Regis sæculorum: erit Regina de Thalamo Regis.

Quæ plenitudo, & ſatietas non emendicantium guttulas aquarum pendentes ex varijs creaturis; ſed exultantium in ipſo fonte in quo uno erit cumulus omnium concupiſcibilium, & quies omnium deſideriorum? Quis igitur non libenter portabit pondus diei & æſtûs pro tanta mercede? *Ingrediatur putredo in oſsibus meis, & ſubter me ſcateat, ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum!*

Meditatio multarum utilitatum ex his, quæ foris, & intus patimur.

CAP. X.

FOris quæ patimur modica ſunt, umbra potius paſsionum. Itaq; patientiæ noſtræ laus præcipua quædam eſt in interioris hominis mortificatione, in pugnando cum voluntate, & judicijs noſtris, in perplexitatibus, repugnantijs, quæ turbant animi pacem, quam adeo ſitimus: & aliquando potiùs ex amore

noſtri, quam Dei, in iſtis nos conſolemur quia *virtus in infirmitate perficitur*; unde Chriſtus ita voluit ſubire agoniam timoris, triſtitiæ, tædij, ut tandem clamaverit *Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Igitur omnia quæ foris, & intus patimur, ſive à Deo, ſive ab homine fortiter ferenda ſunt, etiamſi nulla fuiſſent peccata noſtra, nullæ pœnæ peccatis debitæ, nulla futuri ſæculi præmia. Ferenda itaque libenter ſunt duabus de cauſis eſt perfectio virtutis noſtræ; ſiquidem non tam perſecutiones, & amaritudines exteriùs, quàm miſeriæ & deordinationes interius, ſunt quædam frena, ne pinguis equus recalcitret. *Bonum mihi quia humiliaſti me. &c.* Eſt etiam humilitatio cinis conſervans ignem. Speculum quoddam, in quo clarè videmus infirmitatem noſtram. Et quidem corrueremus ex nobis, niſi juvaremur à Deo. Et quæ mereremur ſi Deus cum ſervis ſuis intraret in judicium? Sunt

picturæ

picturæ nostrarum fœditatum; ut inde concipiamus odium, & nauseam nostræ & humanæ vitæ; sicut infans ablactari solet felle; Sunt pignora honorificentiæ nostræ, quoniam eò gloriosior triumphus, quo conflictus amarior. Strenuos enim Deus diligit, non ignavos milites; virtus in arduis versatur; non in quiete, sed in procellis enitescit.

2. Causa est charitas Dei, quâ urgente clamat Apostolus. *Quis nos separabit à charitate Dei &c. An gladius &c.* Sanctis enim certò constitutum erat, quæcunque foris, aut intùs accidebant; ex Dei providentia, ac voluntate descendere, & quoniam charitas non quæ sua sunt, sed quæ Dei sunt quærit; de manu Dei omnia suscipientes clamabant; *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Serviri sibi vult tantus Rex ab Angelis in fortitudine, ab hominibus in infirmitate, nec minùs gratum est aliquando obsequium, ac munus inopis, &

luxati, quàm divitis, & fortis. Gloriosius Deo est si ei non suo, sed nostro sumptu serviamus, non in lætitia, sed in sorde & pulvere, quamvis enim sine ejus gratia hæc pati non possumus, ea tamen ita temperat, ut non omnem auferat difficultatem; vult ut diligamus ipsum propter ipsum, non ejus dona, aut propter dona. Hæc enim ultissima est perfectio, ad quã vult à nobis ascendi, & dona ab ipso data esse agnosci, & non ut propria à nobis possideri; Ideò per aliquam sui subtractionem, fidem, & charitatem nostram probat, sicut aurum in fornace; Tandem cum omnia propter se ipsum creaverit, in tribulationibus nostris ampliorem habet materiam gloriæ suæ; manifestando tum majestatem suam; ad reverentiam enim magis properat Animus noster fulmine tribulationis, quàm tranquillitatitis illecebrâ motus. Tum, Bonitatem, plus enim se communicat, quò plùs egemus, & poscimus in adversis, quàm in prosperis;

ris; tum fidelem amorem, qui amicos, quamvis ad ima demersos, nunquam deserit sperantes in eum; Imò eos adversis terrendo, ad se tanquam ad Asylum facit confugere, quo intimiori cum eo jungantur amicitia.

Meditationes pro altera fortitudinis parte, quæ est aggredi difficilia.

CAP. XI.

CUm Sancti pro amore Dei ardua aggrediuntur: rectè nôrunt non defuturas contradictiones varias, arte, & consuetudine, & invidiâ Dœmonum opponendas; sed ad eas vincendas fortiter armantur: duobus potissimum instrumentis.

1. Est, plena diffidentia propriarum virium, cùm verè dixerit Dominus. *Sine me nihil potestis facere.* Dummodò sic nobis diffidamus, ut tamen quæ præstare possumus non ommittamus. Possemus

tamen tùm oculatiùs examinare an in nobis aliquid Deo displiceat, propter quod istam nobis immiserit tempestatem; ut Jonæ fuginti&c. Tum humiliùs implorare consilia aliorum, quibus aut neglectis, aut perfunctoriè auditis, frustra à solo Deo, quem superbi tentant, pendere volunt; sive subditi, sive Prælati sint.

2. Est, Scutum, fidei, & orationis cum plena in DEum, cujus negocium & causam agunt, fiducia, ad quam exditandam sequentia meditari proderit,

1. Dei bonitati proprium esse sua communicare, ac ideo *omnibus dat affluenter, & non improperat.*

2. Amor infinitus Dei erga nos, superat amorem Pastoris in oves, Nutricis in infantem, Sponsi in Sponsam, Matris in filium. Quantâ isti sedulitate vigilant pro suis, & tamen. *Nunquid Mater oblivisci potest infantis uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

3. Ut

3. Ut provideat nobis Deus movetur ex amore essentiæ suæ, cujus homo imago est, & organum laudis Divinæ; Si ad finem tam altum vitæ æternæ nos destinavit, an non dabit baculum,& peregrinantibus, & arma militibus suis?

4. Non rogatus creavit mundum pro homine,nec inimicis denegat solem, & pluviam, an minora rogantibus negabit, & amicis?

5. Ecce hortatur ad petendum,& non petentes objurgat? si dare noluisset, nunquid hoc faceret? Imò super alia laudis sacrificia diligit illud *Invoca me in die tribulationis*, Exaudiam te, *& honorificabis me*?

6. *Qui proprio filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non & cum illo omnia nobis donavit? &c.*

Huc intercesio Matris Domini, & omnium sanctorum pertinet quorum charitas consummata cùm sit, quid pro gloria Dei, & salute nostra non præstaret?

7.Tan-

7. Tandem Sancti Patres docent quicquid in fide petitur, & humiliter in petendo perseveratur, obtineri ipsum: vel si id non expediat, aliud æquale, seu melius, non enim frustra Dominus ait: *Omnis qui petit accipit, qui quærit invenit & pulsanti aperietur.*

Meditationes de Paupertate.

Cap. XII.

AD ferenda Paupertatis incommoda ijsdem moveri possumus, quibus ad patientiam. Adjuvant tamen ista.

1. Quia Paupertas est humilitatis custos, quis enim vilibus superbit in pannis?

2. Avocat affectum à cura terrenorum quibus oportet inhiare eos, qui volunt lautè vivere.

3. Est pabulum Divinæ consolationis, delicata enim est, nec datur admittentibus consolationem alienam.

4. Sustentat libertatem spiritus in ministerijs nostris, ut proximis dicere posi-

possimus. *Non quærimus vestra, sed vos.* spes enim obtinendi quicquam ab alijs, Prælatis præsertim, & Principibus, est linguæ vinculum, ne veritas odium pariat.

5. Exercet fidem in DEUM, cujus datura speratur providentiâ *semen seminanti, & panem ad manducandum* pauperibus suis. *Tibi* enim *derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

6. Expedit etiam si quos ad conservandum suæ vocationis spiritum amor, & timor Dei non extimulat, extimulet paupertas eleemosynis sustentanda divitum, quos nisi ædificet nomen bonum, & observantiæ rigor: Paupertatem profitentes non habituri sunt unde vivant.

7. Quia paupertas simillima est imitatio Christi, qui paupertatis prætium & splendorem conservare voluit, vitæ mendicitate, crucis ignominiâ, & nuditate, in eo loco in quo vidimus DEum mendicantem. Qui vult esse pauper non alium

alium quàm JESUM ſequi debet, egenus egenum, mendicus mendicum, & ſi quid commodi neceſsitas exigit ingemiſcendum non inhiandum eſt, & ob oculos ſemper habendum. *Curam carnis ne feceritis in deſideriis* à quibus pauci ſciunt ſe temperare & cum damno ſanitatis, cui cùm quotidiana pharmaca vix medentur parſimonia mederetur. At velle ſpiritualem eſſe & ſuis commoditatibus non carere, non magis cohærent, quàm lutum & ferrũ in ſtatua Nabuchodonoſor. Et ad veras, ſolidasque virtutes aſpirare, nec incommodi quidquam velle pati, eſt aquam cribro haurire. Sapientia enim eſt lilium inter ſpinas, nec habitat in terra molliter viventiũ. Verè humilis conſiderat, ſe potiùs eſſe indignum pane quo veſcitur, & erubeſcit ſi ſtatum Paupertatis profiteatur vivere commodius plerisque divitibus; familiâ, & ære alieno oppreſsis: gratiasque agit Deo, de cujus manibus agnoſcit eleemo-
ſynas

ſynas piorum hominum pro cujus amore optandum eſſet ut iterum antiquæ Chriſtianorum mortificationes reſumerentur. Quia mirificè humilitatis alunt ſpiritum ac fervorem contemptus ſui.

De Caſtitate.

CAP. XIV.

ENitendo (inquit P. Ignatius) *Angelicam puritatem imitari, & mentis, & corporis noſtri munditiâ. Caſtitas debet ſervari.* Quis altior gradus cogitari potuit?

Primò.

Angelis eſt propria caſtitas per naturam quia carent corporibus, eandem decet per gratiam ita ſplendeſcere, in caſtitatẽ profeſsis ac ſi incorporales eſſẽt, idque ob varias occaſiones quibus patet vita noſtra, cũ præſertim Chriſtiani ſtatûs labores non poſſent ab eo ſuſtineri, quem hæc voluptas enervat. Requirit enim vita Chriſti imitatrix quaſi Angelos po-

tentes virtute ad audiendam vocem sermonum Dei per Superiores.

Secundò.

Angelos oportet impollutos esse qui Cives sunt civitatis, in quam nihil coinquinatum intrabit. Neque ille Civis Sanctorum ac domesticusDei esse potest, qui impurè vivit.

Tertio.

Quoniam *incorruptio proximum facit esse Deo:* in ea decet Angelos excellere qui vident faciem Dei, & nocte & die clamant SANCTUS SANCTUS SANCTUS *&c.* Imitatores Christi &vivunt in domo Dei, quæ est Ecclesia,& ea quæ Dei sunt attingunt perpetuò in sacrificijs, in Sacramentis, in verbo Dei, & alijs Ecclesiæ precibus. Nihil verò est sanctitati contrarium magis, quam fœditas carnis.

Quarto.

Nec tuto committeretur Angelis hominum custodia, nisi essent mundo corde. Neque illi qui curam aliorum præcipuè

puè habent: eſſent idonei ad animarum zelum ſi quid maculæ ponerent in decore ſuo. Quomodo enim proximi ſe noſtris crederent? Propterea Dei filius cum vellet inter homines agere, ut illis exempla,&monita daret ſalutis; non ſolùm in ſe, in Matre, & in Diſcipulo cui Matrem commēdavit, voluit virginitatis decus illibatum: ſed in hoc genere ne ſuſpectus quidem eſſe voluit, cum aliorum criminum ſuſtinuerit calumniam.

Quintò.

Angelos autem in eo ſuperare poſſumus, ſi in Babilonis fornace poſiti non ardemus, quia in carne vivimus præter carnem, flantibus præſertim tentationum ventis: qui nullum terrère debent, cùm nihil derogent ſanctitati, ſed eam purificent, ut cinere, ſapone, nitro, vaſa terguntur.

Pro Tentationibus iſtis præſtò ſunt hæc remedia.

Primò.

Considerare quanta sordium colluvies sub modicæ cutis fuco delitescat. Quanta contra sit puritas Angeli custodis, lucis è cælo demissæ & Dei in cujus agimus præsentia. Ita ut humanæ carnis sive vivæ sive mortuæ fœditas, perpetuam nauseam atque horrorem, & candor lucis æternæ intimæ puritatis amorem ingeneret.

Secundo.

Fugere occasiones per sensuum custodiam. Quia *Mors intrat per fenestras.*

Tertio.

Snbtrahere materiam flammarum, hoc est nimiam corporis curam, in commodis, sunt enim illa oleum Clibani.

Quarto.

Occupatum semper esse, quia otium malorum sentina est.

Quinto.

A perire sua vulnera spiritualibus Patribus, hæc enim humiliatio confundit

Demo-

Demonem. Præterea alicujus ſe commendare precibus.

Sextò.

Humiliter de ſe ſentire, magnificè de alijs, frequenter enim Deus talem tentationem aut lapſum in arrogantiæ noſtræ confuſionem permittit.

Septimo.

Cùm irruerit tentatio nihil morandum eſt, ſed cum parvus eſt adhuc hoſtis elidatur, aut etiã clametur ad Deum. Agnoſco Domine fœditatem meam, quid enim aliud expectari debet è ſterquilinio. *Domine vim patior.* Convertere etiam ad Angelum tuum cuſtodem, ad aliquem Sanctorum, præſertim ad Virginem cui noſtræ caſtitatis cuſtodia commendari debet.

Octavo.

Si creſcit adhuc tentatio, dolor tibi excitandus eſt tunſionibus, pugnis, aliquando progrediendum ad diſciplinam,

quandoquidem non liceat nives seu vepres Sanctorum ingredi.

De Obedientia.

Cap. XIV.

Superfluum est aliquid de obedientia scribere. Examinis enim constitutionum atque SS. Patrum, ubi de hac tractant lectio sufficit; crebro & relecta attentè S. P. Ignatij Epistola de obedientia. Ut tamen ab incæpto more non desistamus, non abs re erit paucas meditationes de ipsa proponere obedientia, quam cœcam appellant, in hac enim apex hujus virtutis consistit.

Primò.

Sciendum obedientiam cœcam non dici, quod in omnibus etiã peccatis obediendum sit, in ijs enim tantùm parendum in quibus non apparet esse peccatum; sed nec ita cœcam oportet esse, ut non liceat mihi quas video difficultates Superiori proponere: id enim tantùm abest

abeſt ut fieri prohibeatur, quin potiùs contrarium faciens minùs prudenter ageret, ſed ut hoc facto Superioris poſtea acquieſcam arbitrio, id requiritur.

Eſt itaque obedientia cœca in eo, ne ſcilicet curiosè examinetur, cur hoc, aut illud jubeatur, nec reſpiciatur ad præcepti difficultates, nec ad jubentis qualitates, non enim homini, ſed in homine Deo obeditur, qui & ſapienter examinat, quæ nobis imperari permittit, & in arduiuis ſublevat obedientem, & tandem dignus eſt cui obediatur, etſi indignus ejus miniſter ſit.

Secundò.

Hoc Obedientiæ genus novum non eſt, ſed conſentaneū tum Regulis omnium fere Ordinū, aut Monachorum Ægypti. SS. Benedicti, Hyeronimi, Bernardi, Franciſci & aliorum: tum miraculis quibusdam in vita SS. Patrum recenſitis, quibus illam Deus illuſtraſſe ſcribitur, tum Scripturis Sacris, in quibus etiã ha-

betur obediendum esse Prælatis sicut Deo. *Qui vos audit me audit.* Constat & Deum ipsum exegisse ut sibi simpliciter obediretur, ut apparet in Abraham & alijs.

Tertio.

Qui non est cœcus obediens, sed curiosus eorum quæ jubentur examinator & Judex; magno se exponit periculo, ne fiat sui Judicis Judex, aut non damnet temerè quod non intellgit cœco sui amore deceptus, ac ne prudentia carnis retardet promptitudinem voluntatis & operis, aut ne tanquam intractabilis derelinquatur sibi, forasvè mittatur?

Quartò.

Hoc verò concernit eum qui vovit Obedientiam, ut attẽdat, ne dum Sapiẽs sibi maxime videtur: tunc potissimũ fiat insipiens. Non enim ignorat, se jam non amplius esse in illo statu, in quo se, sua regere possit sapientia, etiam si aliquando non male possit: ad alienam

nam enim se regulam obligavit, à qua si suum discrepat judicium, sibi obliquum est, quamvis alioquin posit esse rectum.

Quinto.

Cœcus obediens Deo integrum offert holocaustum ex voluntate & intellectu, per quod duplicat meriti materiam, nec obedit Superiori quia sibi placet, sed quia placet Deo. Nam si, quia sibi placet quam mercedem haberet? Is est qui vere cœcus est sibi, & totus Deo vivit, quia se totum Divinæ providentiæ voluntatique commisit. Et quamvis quæ jubentur à melioribus impedire possint, compensatur tamen merito, non modo obedientiæ sed omnium virtutum; nempe fidei, quia Divinæ se credit providentiæ: humilitatis, quia pluris æstimat alienum quam suum judicium; fortitudinis quia arduum est abnegare se ipsum, & sic de alijs.

Sexto.

Quæcunque difficilia, vilia, ignominiosa jubentur, alacriter subeunda sunt exem-

exemplo CHristi, cujus obedientia fuit ineffabilis. Jussus est humiliter nasci, natus in Instabulo. Jussus est, vitam pauperem agere, mendicavit. Jussus est utilia docere omissis subtilitatibus disputationum, totus fuit in parabolis, rebusque simplicibus. Jussus est præbere se patientiæ exemplar, sicut ovis aut agnus obmutuit. Jussus est filius mori pro redimendo mancipio: Per quot Passionis tristitias, tædia tribunalia, alapas, irrisiones, flagella, spinas, ignominias mortuus est in patibulo? Cur ergo homunculus audeo me, cũ quid difficile & abjectum præcipitur excusare? Duo sunt mihi Patres: Unus obedientia, alter inobedientia quanta ex isto mala, tanta ex illo bona: videam tandem utrius vellem esse filius.

Septimo.

Quæ consolatio, & pax major quam obedientis? scit se Deo servire non sibi, non ipse sui redditurus rationẽ sed Prælatus, si occurrant difficultates tutus ac fidens

fidens occurrit ad eum qui in Superiore jubet, neque deserit: & quia libenter ipse subjacet suo Superiori, efficit etiam Deus ut ejus membra, & caro, & concupiscentia Spiritui subjaceant.

Contra verò quanta est desolatio, & inquietudo inobedientis? scit deviare se ab eo quod Deus à se exigit: In difficultatibus æstuat. Nam qua fronte juvari, aut audiri vult ab eo, quem ipse non audit? Torquetur intus, quia non probat quæ jubentur, & tamen ea facere cogitur invitus. Judicat, murmurat, scandalizatur, in gehenna vivit, & ad eam trahit alios, obturbat Superiores, nescientes quomodo illi satisfaciant, & sæpe murmurationum, aut quærelarum mætu coguntur mutare, aut dissimulare quæ non oportet, ita ut regimen confnndatur. Quot in uno crimine sunt crimina? lapis unus cui male convenit cum aliis, totam domum inclinat ad casum.

De discreta Charitate erga Deum.

CAPUT XV.

DIscreta charitas erga DEum duos distinguit actus charitatis, unum præcipuum,& proprium veræ charitatis, qui est suam voluntatem cum Divina voluntate,præceptisq; conformare juxta illa. *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem sic facio.*

Plenitudo legis est dilectio.

Si quis diligit me,sermonem meum servabit.

Amicorum tandem est idem velle, & idem nolle. Perfecta autem charitas diligit Deum ex toto corde, non modo nihil habendo in suo corde contrarium divinis præceptis,sed neque consilijs, inspirationibus, permissionibus: quoniam propter amorem divinæ bonitatis, se velut jumentum tradit Divinæ voluntati, ab ea movendum ad omnia, quæ ad ejus gloriam & obsequium pertinent, quæcunque sibi accidunt agnoscendo esse de

manu

manu Dei, & quia ſunt à Deo eis immobiliter acquieſcit, quantumvis repugnante naturâ.

Ad iſtum gradũ nos invitat S.P. Ignatius cùm in omnibus ſemper clamat reſpiciendam majorem Dei gloriam, & tanquam corpus mortuum eſſe nos debere, ut à Divina providentia quocunque velit moveatur, & eò intentionem dirigendam eſſe, ut in omnibus Deo placeamus, propter ejus bonitatem, charitatem, & beneficia potiſſimũ, potiùs quàm propter pœnas, aut præmia; quibus verbis ſignificat, poſſe quidem & debere nos quando expedit adjuvari conſideratione pœnarum aut præmiorum. Nam hoc etiam Sancti ſpectâſſe leguntur in ſcripturis, ſed multò perfectiùs eſſe, velle placere Deo in omnibus propter ejus bonitatem, omni pœnarum ſeu præmiorũ curâ relictâ. Uterq; ſanè modus charitatis eſt vel placere velle Deo propter ipſum ſolum, vel propter ipſum principaliter

paliter; secundariò propter re tributionem, quamvis prior modus sit perfectior, quem ut exponit Chrysost. exercuit Apostolus cum dixit. *Optabam anathema esse pro fratribus meis.*

Ad hanc perfectam charitatem, quæ totum hominem divinæ gloriæ & voluntati consecrat propter ipsum, studiosis virtutum enitendum est, & juvari poterunt his meditationibus.

Primò.

Cùm Deus sit totum esse, & omnis substantiæ plenitudo, creatura autem sit quædam participatio, & scintilla Divinæ perfectionis, non minùs jure naturæ esse tenetur creatura tota Dei, quam pars quælibet sit tota sui totius, ut naturaliter se offerat ad sui abscissionem pro bono totiꝰ. Tanto id verius, quod creatura Deo collata non modo sit velut portiuncula quædam, sed vilissima, vilior pedibus, unguibus, capillis, sputis, sudoribus. Huc accedit quod naturæ ordine res imper-

fectiores ſunt gratiâ perfectiorum: ut elementa propter plantas, plantæ propter animalia, hæc propter hominem. Quot modis in uſum noſtrum nos laceramus, & diſcerpimus plantas & animalia? Quis juſtè quæri poſſet, ſi Deus ita nobiſcum agere ſtatuiſſet?

Secundo.

Ingratitudo in benefactorum, quâ nihil odioſius, evitari non poteſt ſecundum Philoſophos morales, niſi illi plus reddatur, quàm acceptum ſit. Plùs inquam, quia quod ille dedit, prius dedit: quæ præventio compenſari non poteſt, niſi cum fœnore reddatur acceptum. Si homo ſe totum impenderet in honorem Dei, tantum acceptum redderet ad æqualitatem: & quantum ſibi reſervat, nec in Deum ſolum, aut præcipuè refert, tantum ſubtrahit de debito: præter quam quod etiamſi reddat ſe totum, quid reddit pro præventione? Quid pro donantis majeſtate? quæ quò altior, mi-

nima dona etiam magna sunt præsertim collata tam contemptibilibus personis. Quid pro æterno, & infinito amoris affectu quo donatur? qui affectus quò vehementior, eò magis amplificat doni dignitatem. Quid tandem, quod non modo homini hominem donavit, sed & omnia subjecit sub pedibus ejus? nihil est in cælo, & in terra, quod non aliquo modo propter nos sit. & cæli immensitas, & Angelorum multitudo: quia si non aliunde; hinc assurgimus ad notitiam & magnitudinis Dei admirationem, & inde etiam sumus habituri consortium in cœlo fœlicius. Addo & particularia singulorum beneficia propter quæ multis rationibus Deo toti debemur.

Tertio.

Ut mercenarij à Deo in vineam conducimur ob necessitatem non conducentis, sed mercenariorum ita inopum, ut aliundè non habeant unde vivant: & sunt mercenarij qui alendi sunt magno sumptu,

ſumptu, nempe miniſterio omnium creaturarum ut plus oneri ſint, quam commodo, quia ſatis ſuperque haberent ſi ſibi de neceſsitatibus provideretur: de reliquo aliud nihil cogitari deberet, quam laborare pro conductore, & modo quem ipſe perſcribit. Quanto id juſtius eſt, cum qui conducit ille mercedem promittat, & ita amplam, qua nulla major cogitari poteſt *ego* (inquit) *ero merces tua magna nimis*?

Quarto.

Non modo mercenarij ſumus, ſed mera Dei mancipia jure creationis; quicquid enim artifex facit, aut agricola plantat, ſuum eſt jure naturæ, & de eo poteſt diſponere quicquid velit. Non minùs ergo pleno jure dominij, de noſtris corporibus, animis, judicijs, voluntatibus diſponere poteſt, quam de noſtris gregibus, oleribus &c. Et poſſet nobis nihil velle retribuere, niſi quia ex miſericordia legem inſtituit, ut quæcunque nos

ex ejus gratia facimus propter ipsum, justa merita sint æternæ vitæ.

Quinto.

Neque modo servi sumus, sed etiam instrumenta ad nullum opus habilia, nisi à brachio Dei moveamur. An securis, an calamus quicquam sui gratiâ faciunt? quicquid sunt propter artificem sunt ut S. Th. docet.

Sexto.

Sumus adhuc Dei rebelles ex culpa. At rebelles à Rege si capiantur, est in potestate Regis eos damnare, vel ad mortem, vel ad quascunque velit hujus vitæ pœnas. Quanto nequior in Deum nostrum rebellio? & quoties iterata post reconciliationem? quoties æternitas pœnæ in temporariâ commutata? Quantus est humuncio etiam si totus, & totus impendatur, & super-impendatur Deo pro tot rebellionibus, & reconciliationibus? imò ne pro una quidem, quando juxta aliquos Doctores, tantum mali pecca-

peccatum est, quantum boni Deus est, &sicut omnia bona creata à Divino bono infinitè deficiunt, ita omnia pœnarum mala, quæ cogitari possunt, minora sunt malo culpæ.

Septimo.

Nec solùm reconciliavit sibi nos Deus misericorditer, sed etiam salvo rigore justitiæ per sanguinem filij sui. At, quando dedit nobis filium Redemptorem? quando omnes digni erant gehennâ. Deditne rogantibus? imo & idola adorantibus, & paucis verum Deum scientibus. Dedit ne libentur accepturis quod dabatur? imò egrè ferentibus donum istud, quare Judæi dixerunt. *Hic est hæres, venite occidamus eum.* Gentium autem Principes & exercitus hoc nomen ut signum cui contradicerēt in orbem terrarum introducere voluerunt. Dedit ne futuris gratis? ingratissimis. Nam multi nec recepêre, multi retrorsum abierunt, ut Apostatæ & hæretici. Ex ijs qui

permanent in fide, plerique omnes illum iterum atque iterum malefactis crucifigunt. O ineffabilem vim charitatis. verè *aquæ multæ eam extinguere non potuerunt*, verè ait Apoſtolus: *Propter nimiam charitatem ſuam &c.* at, quid, pro quo, datum? Unigenitus, innocens, pro turpi mancipio. Hoc eſt plus, quam ſi quicquid ſpeciosè ſplendet in toto cælo daretur pro modico luto; quantus ſumptus pro tantillo lucro? at quot modis datur? In ſocium, in amicum, in Redemptorem, in ſacrificium, in pretium, in cibum & potum, in Doctorem, in Paſtorem, in Patrem, in Sponſum, in cohæredem, & fratrem. Et quæ alia dona cum hoc dono? Balnea ſacramentorum *in ablutionem peccatoris & menſtruatæ*, oracula Prophetarum *tanquam lucernæ in tenebris* ſæculi; gemmæ gratiarum & virtutum; adminicula tot ſpiritualium auxiliorum in ſingulas horas. Trophea Sanctorũ Martyrum: vigiliæ tot Patrum Eccleſiæ:
exem-

exempla, & patrocinia tot Sanctorum: tot ſtatus perfectæ vitæ, tot ſpiritus conſolationes velut æternæ vitæ ſtillicidia. O quis tam impudens, & ferreus, non videat obrui ſe tot inundationibus beneficiorum! O quot, & quantis titulis ſe quisque totum debet Deo, ut merito dicat. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota omnia tua, ex omnibus viribus tuis.* Si ſæpius, & ſæpius poſſem eſſe totus; & ſi ego ſolus poſſem eſſe cælum, terra, Angelus, ſive omnes Angeli, & omnes homines, & hoc modo totum me traderem in minutiſsimas partes pro Deo, nondum toti ſatisfacerē charitati. Quare in hoc parvo corde, quod habeo, nihil debet habere locum, niſi Deus, & reliqua propter Deum, & in Deo: & me ipſum amare deberem, non propter me, ſed quia ſum res Dei. Et ſi quid mihi volo, non alia de cauſa id velle deberem, niſi quia per hoc aptior ſum pro Dei gloria, & ſervitio promovendo,

vendo, & implenda Dei voluntate in omnibus, & per omnia, ut jam non vivam ego, sed vivat in me Christus.

De altero caritatis actu, & affectu.

Cap. XVI.

ALter charitatis actus, vel affectus, est quidam amor tener, & dulcis affectus in Deum fervidus & consolatorius, suavissimus, qui ex Spiritu redundat in sensum. Hic affectus non est inseparabilis à charitate, nam aliũde etiam posset proficisci, neque hinc meritum, & sanctitas æstimanda est, nam in peccatoribus aliquando reperitur, imo & imperfectis frequentur datur, & copiosius, ut adhuc lactantibus in via Dei.

Verum quoniam cor humanum manere non potest omnis consolationis expers, ut à fallacibus & immundis hujus sæculi bonis animus avocetur in Deum, & in invisibilia bona futuri sæculi erigatur: valde utile est hunc affectum

etiam

etiam in nobis. Quantum in nobis eſt, excitare: Excitatur autē his Meditationibus.

Primò.

Quoniam naturaliter rapimur in amorem lucis, & pulchritudinis: quicquid in corporibus, aut ſpiritibus ſive ſecundùm naturam, ſive ſecundùm gratiam pulchrum eſt, in Deo relucet infinitè pulchrius; ut ejus pulchritudo, quemvis intellectualem ſpiritũ in exſtaſim rapiat, ſatiet, ac beatificet in aſpectu ſuo. *Regem videbunt in decore ſuo;*

Secundò.

Placet naturaliter, & amatur Vitæ innocentia, candor niveus, decor innocentiæ, ſanctitatis odor, juſtitiæ rectitudo, adde etiam ſagacitas in agendo, unde ſecundum Platonem. *Si virtus videretur, ingentes ſui amores excitaret*, atq; hæ quidem feces, & ſcoriæ ſunt: aurum puriſsimum in Deo tantum eſt.

Tertiò.

Quoniam admiramur & amamus natura-

turaliter Regem aliquem opibus potentem, invictum in armis, aggredientem ardua, multis imperitantem populis, jubentem quæ velit. Quid hæc umbra imperij, & potentiæ; si comparetur cum Dei brachio? quibus non imperat, quem tremunt cœli columnæ? cuj9 est opulentiæ, qui est infinitus bonorum thesaurus? quæ ardua non agit, in miraculis, in sacramentis, in naturæ operibus? *ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Virtus bellica, & ejus trophæa quid aliud sunt, quàm divinæ fortitudinis scintillæ quædam? unde *Dominus* dicitur *Exercituum*, & Angeli sunt *Castra Dei.*

Quartò.

Quam naturaliter amabilis est sapientia & veritas? Arcana quæ latent alios penetrare, quàm admirabile? consilia, & responsa prudentum quam grata sunt in dubijs? Quid hæ faculæ ad claritatem solis æterni? in eo latent arcana providentiæ tuæ quæ hic nescimus, & obstupescimus.

pescimus. In eo numerus prædestinatorum & rationes eorum: Judicium nunquam fallax; speculum in quo se ipsum, & omnia contuetur: fons Sapientiæ: schola Prophetarum, liber vitæ.

Quintò.

Amamus naturaliter & eos, qui facile amant, & se largè, suaque communicant, & misericordiæ viscera in egenos extendunt, & clementer ignoscunt ijs de quibus ulcisci possent, & sollicite provident ne quid suis deficiat. At quis amantior Deo? qui totus charitas est, nec quicquam nisi ex amore facit. Quis sui communicantior? ex bonitate ejus procedunt fluvij creaturarum. quis misericordior Deo, *qui omnipotentiam suam parcendo maximè manifestat?* Inimicos non privat suis bonis, allicit ad pacem, redeuntes induit stolâ, & vestimento salutis, omnium oblitus injuriarum: & meretricem publicam iterum, atque iterum suo dignatur thalamo? quis prudentior eo, qui

ut ſedulus Pater,& Mater ſingulis rebus juxta ſuas providet naturas, ut deſtinato fine potiantur?

Sextò.

Quot pluviæ beneficiorum ex alto? Inde alimur, induimur, cuſtodiâ Angelorum docemur, eruimur à periculis, ſuſtinemur in fide, inde lux, imbres, ſerenitas, fæcunditas terræ, mare navigabile, miniſteria animalium, florum odores, fructuum ſuavitas? O durum cor hominis, tot quotidianis miſericordijs, tanquam follibus,& flammis non incenditur! Cur Deum in omnibus præſentem non videmus? *coelum, & terram ego impleo. Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* non enim creavit tantum, ſed præſens eſt, ſuo ſpiritu ſinuque conſervat. Intuere Deum immenſum in vaſto cæli ambitu, fæcundum in terra, ſuaviter olentem in aromatibus, dulcem in lacte, & melle, ſpecioſum in ſtellis, & floribus, & ſic de alijs.

Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos, alioquin irretirentur bonorum visibilium visco.

Septimo.

Quæ amentia? Deus intra me est, & ego totus in Deo, ut gutta in mari, & ipsum non cogito? si moveor, me movet; si induor, me induit; si vescor, me pascit; si loquor, intelligo; docet, disco. Hæc mecum omnia operatur intra me, & in me: & adhuc cor meum longe est ab eo! *Deus ignis est*, & ego tam miser, ut in igne frigeam. *Deus cordis mei*, nam & cor ipse plasmavit mihi.

Deus amor meus, nam quicquid amo amabile non est, nisi quia est aliquid Dei, & à Deo, & in Deo. Deus lux mea. nam quicquid video, Dei quoddam crepusculum est.

Deus anima mea; nam anima mea imago Dei est, quam suis manibus, ille depinxit.

Octavo.

Tandem nulla satietas, & quies nisi in Deo. Nec lapis extra centrum, nec fluvij extra mare quiescunt: cor nostrum sagitta est Dei manu emissa versùs non alium scopum, quàm Deum. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Salsæ sunt hujus mundi aquæ, non tam extinguunt, quam excitant sitim. Creatum quidvis bonum, si est calceus pedis, non est pileus capitis: si potus ad sitim, non cibus esurienti: si vestis, non arma; solus Deus, est officina omnibus necessarijs, & concupiscibilibus affluens. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Tu æternitas, in manibus tuis sunt tempora mea.

Tu stabilitas mutabilitatis meæ.

Tu satietas inopiæ meæ.

Tu gaudium gaudentium, & amor amantium, & dulcium dulcedo.

Tu

Tu indumentum nuditatis meæ, honor ignominiæ, ſpes & quies laborum.

Tu pulchritudo ſuper omnem pulchritudinem, pax ſuperans omnem ſenſum? ebrietas ſpiritus ſuper omnem ebrietatem, juſtitia ſuper juſtitiam, potentia ſuper potentiam, dilectio ſuper dilectionem, gaudium ſuper omne gaudium, immenſa plenitudo, quam nec oculus vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis aſcendit.

De diſcreta charitate erga proximum.

CAPUT. XVII.

DE diſcreta charitate, & mutua inter nos unione agendum nunc eſt: ad eam vero excitant hæ duæ meditationes.

Primo.

Unius naturæ conſortes ſumus omnes, & omne animal diligit ſibi ſimile. Naſcimur inerme animal, quia ad concordiam, & pacem naſcimur, cœteris animantibus inna-

innaſcuntur arma. Ita mutuis egemus auxilijs,ut ſeorſim vivere non poſsimus, idque ad arctius amoris vinculum.

Secundo.

Dum proximum diligo, aut odi, DEI imaginem, DEI manibus elaboratam diligo, aut odi, & imaginem quidem, quam DEUS ſui Dominij inſignitam charactere, juſsit piſcibus, beſtijs, volatilibus præſidere, ut Dei Pro-regem in Univerſo: tanti Deus hominem facit, ut omnia per ipſum regat,&pedibus ejus ſubjiciat. Ego tam parvi æſtimo, &nec modico quidem obſequio,aut verbo,aut amore dignandum puto?

Tertiò.

Proximi mei oves ſunt, redemptæ ſanguine Dei mei, ſi non fuiſſet prætioſa merx, fieret tanto prætio prætioſior, pluris certe valet quam cælum,& terra. Rachel pulcherrima in partu crucis mortua eſt, ut pareret hunc Benjamin, quem nutrit uberibus ſacramenti ſui de angelorum

lorum pane, factus lac parvulorum. Filij sumus ejusdem Patris Christi, ejusdem Matris Ecclesiæ, sicut novellæ olivarum in ejusdem mensæ mysticæ circuitu, sub eadem fidei disciplina, in ijsdem viridarijs scripturarum, ex eodem fonte regenerati, sumus tandem invicem membra unius corporis. Quam sedulo omnia membra uni languenti succurrunt? quantum unum sentit alterius incommodum? Quantum omnia alterius bono lætantur? nam quæ bona sunt in proximis, Dei bona sunt & omnibus communia, & dummodo Deus benedicatur; nihil refert, splendere ne velit in me, an in alio. Quicquid ubique splendet, Deus & sol est. Contrà, quæcunque sunt mala in proximis à peccato, & hoste communi Diabolo descendunt: quare omnium interest mala illa depellere, perinde ac commune domus incendium.

Quarto.

Una spes vocationis nostræ. Quos

nunc aſpicis in cæno, videbis aliquando Hæredes Dei, & cohæredes Chriſti videbis fulgentes ſicut ſolem in regno Patris ſui, Cives Sanctorum, & domeſticos Dei. Videbis tot altaria thymiamatis tot reges gloriæ, tot organa divinæ laudis, quos tu forte non videbis ſi tu inter hædos, illi inter agnos ſteterint à dextris Judicis. Quàm multi naufragantur prope portum, alij poſt varias procellas evadunt?

Quinto.

Præter hæc communia Fraternæ charitatis pignora, duo adhuc Religioſorum maximè propria.

Unum eſt inter illos ipſos, quod ex magna Charitate DEI ſub unum vocati cubiculum, arctius conjugium, eodem perfectionis ſtatu, ijsdem conſtitutionibus, & votis, ejusdem inſtituti, ſub ijsdem perſecutionibus, ut quò noſtra major fuerit unitas, eò fortius muniamur in prælio. Eâdem ſacramentorum frequentia,

quentia, sub eodem Fundatore & nomine quamvis ex diversis nationibus, quarum varietas quò magis erit labij unius, eò gloriosius erit *habitare Fratres in unum.*

Si concorditer feramus, colamus, metamus, nec ulla tempestas oberit, roborabit potius conjunctos per antiperistasim.

At si quod unus seminat, alter evellat, nostra messis nec alijs, nec nobis erit alimento. Quare quicquid in docendo, in opinando, in rogando, in vivendo, in orando in concionando, in conversando afferre potest aliquid diversitatis divisionis, & differentiæ, tanquam id, quò nil pestilentitius, execrandum est.

Alterum erga externos, hoc est animarum zelus, huc enim spectant plurima Religiosorum ministeria. O nobilem mercaturam, pro qua Moyses. *Aut dimitte* (inquit) *aut dele me de libro vitæ.* & Apostolus. *optabam anathema esse pro fratribus meis. Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

firmor? & ipsemet Dei filius *propter nimiam charitatē suam quâ dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis* Deo nihil prodesse possumus, ijs possumus quos Deus commendavit pro se. *Diligis me plus his? Pasce oves meas.* Quot oves quotidie rapiuntur à lupis? pudeat non mori potius, quam hæc videre. Ad ultimas usque terras profecti sunt Patres nostri ad venandas animas, nos eas perire patimur ante oculos nostros. Quæ vocatio nostra?

Cur & quare Discreta charitas appelletur.

CAP. XVIII.

DIscreta charitas erga Deum duo potiſsimum exigit.

Unum, ne charitatis umbram, qui est affectus ille dulcis, ac tener, pro vera charitate complectamur. Neque enim quia saccarum medicinis, ne pessime sapiant admiscetur, idcirco ejus saccari copiâ,

copiâ, seu parcitate vis & efficacia medicinæ metienda est. Charitas enim propriè expoliat hominem amore sui, ut nihil quærat, ac cogitet, quam Dei gloriam & voluntatem, & quæcunque sibi, undecunque, intus & foris eveniant de DEI manu suscipiat, & ad Dei gloriam ordinet, curando ut in omnibus rebus & personis Deus honorificetur. Nec quærendo quæ sua sunt, sed quærendo quæ sit voluntas DEi sancta, & beneplacens.

Alterum, quamvis amor DEI tantus nunquã esse possit, quin adhuc majori sit dignus, tam exterioris cultûs opera, quã pœnitentiæ revocanda sunt ad mensuram discretionis: ne aut valetudini, aut ædificationi noceant. Quare nihil tutius, quam in his Superioris, aut Confessarij arbitrio stare: qui si pauciora, quam velimus concedat, erit Deo gratius, cui placet magis animus tractabilis, & qui suam abdicat voluntatem, quam contumax, aut egre docilis.

Erga

Erga proximum vero discreta Charitas docet: aliud esse proximum mihi placere, aliud me placere proximo, utrumq; sanè benè & male fieri potest: nam quod ad proximum pertinet, placere mihi debet proximus in his quæ habet à Deo, scilicet in natura & gratia: defectus nullo modo placeât. Sed si manifesti non sunt excusentur, quomodo pia mater tegit infantis sui deformitates. Quamvis idem facturus ego non essem, non tamen possum in alijs ea damnare, quia nescio causas, & omnes circumstantias. Si vero manifesti; non amplificentur, nec divulgentur: sed ex misericordi charitate curentur, monitis, ratione, & exemplo. Nec interim te præferas illis, quoniam alijs tu gravioribus laboras. Cur *festucam in oculo fratris tui vides, non trabem in tuis?* Non itaq; placeant omnia quæ sunt in proximo, sed quæ sunt à Deo, & propter Deum. Sed neque ptopter te; nam si te quæras, hoc est tuum gustum, & sympa-

ſympathiam, aut etiam delectationem ſenſus. Recepiſti mercedem tuam.

Quod verò ſpectat ad alterum: placere, & non placere debes proximo. Non placere, ob complacentiam tuam. Placere, ob ejus fructũ, & gloriam Dei. nam

1. Quæcunque facienda ſunt publicè, ita modeſtè, graviter, piè, benevolè, hilariter, verecundè, patienter, manſuetè; præſtanda ſunt: ut ex ſe apta ſint ædificare proximum. *Sic luceat lux veſtra &c.* idque de communibus operibus, quæ fiunt publicè. Nam peculiaria, & propria; tutiùs ſecretò fiunt, niſi adeo perfectus ſis, ut furem non timeas.

2. Placere debes proximo in eo, quantum tuus patitur ſtatus: & intra tuum, ita placens uni, ut non noceas multis; ſemper commune bonum privato præferendum, & minori majus.

3. Placere debes proximo; ſed ſecundum libertatem Spiritus, quæ veritatem utilem aliis loqui non vereatur. Alioquin

crimus *canes muti, non valentes latrare*, sed *prurientes auribus*. Contentio tamen cavenda, quod enim in Domino censueris, postquā modestè, & efficaciter exposueris: aut cede repugnantibus, si meliora afferant, aut tace pro bono pacis.

Placere debes proximo: non tamen serviliter dependere à cujuslibet judicio in laudibus, aut vituperationibus. Nam parciùs de te cogitant quam putes, suis vacant rebus, & molestijs: & si cogitant crebrò, male de te opinantur, quibus placere te credis, & si places identidem mutantur? ex uno in aliud judicia, pro varijs rerum eventis. Et si non mutentur, sæpe tamen fallax est eorum judicium. Quia *omnis gloria filiæ regis ab intus*: quod alios latet. Et si verum esset judicium eorum, sive te laudent, sive te vituperent: non plus tamen tibi prodest, aut nocet, quam flosculus ante oculos volitabundus. Et si nocere posset, aut prodesse, magis tamen tibi nocet ea servitus: quia

quia dependes à mutabili vento judicij alieni, cum præsertim nullus sit, qui vitare poßit linguas meledicentium.

Prima inquit S. Hieronymus *est virtus: Monachi, contemnere aliorum de se judicium.* & Apost. *mihi autẽ pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die. Est Deus qui judicat,* & alia sunt Dei, alia hominum judicia; Propterea res tuas compone juxta consilia majorum, de reliquo qualia sint honimum judicia securus transi *sive per infamiam, sive per banam famam,* & sermo, & negatio tua sit cum Deo. *Ille est enim judex meus & conscius meus.* ait Iob.

De meditandi modo.

CAP. XIX.

EXposita meditandi materia, sequitur forma, hoc est meditandi modus.

Anima igitur dum orat, duabus utitur partibus. Intellectu, quo cogitat; voluntate, quâ afficitur.

Intellectus. 1. Judicare debet, atque

ea discernere quæ meditanda sunt. Non enim incerto, ac fortuito casu, sed ex arte, & præmeditatè, certum aliquod meditandum, vel cogitandum: alioquin animus fluctuabit, & prius humanis, quàm Divinis occupabitur.

2. Quæ meditaturus est mane, prælegat nocte præcedente, ut tanquam sedem quandam sibi præparet in corde: & quamprimum evigilat manè, animus ad præparata recurrat, ne locum priùs occupent alia.

3. Orandi principio cogitet DEUM præsentem cum tota cœlesti curia, eumque pronus, ac supplex adoret, componat sibi deinde locum, in quo cogitare debet, esse quæ meditaturus est gesta.

4. Attentè, ac piè ruminet materiam meditationis, ita tamen ut meminerit intellectus suum esse quærere prædam, & voluntati tradere degustandam: hoc enim opus affectu potius, quam notitia peragitur. Non ita intellectu vagandum est,

eſt, ſed ſicut in Vite amputanda ſunt folia multa diſcurſuum, ut planta fœcundius erumpat in fructum, hoc eſt in affectum.

5. Ubi plus afficitur animus, in eo diutiùs moretur. Neque enim in decurſu multarum rerum, ſed in guſtu, & affectu fructus eſt orationis.

6. Prodeſt meditari loquendo cum Deo, id enim & torpentem excitat affectum, & excitatum incendit.

7. Ex qualibet meditatione & affectu, duos in primis decerpe fructus. Unum admirationis, & laudis in Deum: Alterum odij, depreſsionis, deteſtationis contemptûs ſui.

8. Poſtquam quantum ſatis eſt de aliqua virtute cogitaveris, deſcende ad eam ſuppliciter petendam à Domino: hoc eſt ad ſecundum inſtrumentum, nam huc usque plantaſti, niſi incrementum det Deus, quid effeciſti? Arâſti terram, niſi Deus, ſolem, & pluviã deſuper immitteret, quæ ſperandæ ſegetes?

De II. INSTRUMENTO hoc est de petitione.

CAP. XX.

ANte petionem duæ ſtabiliantur veluti proteſtationes. Una quidem, quod non in juſtificationib9 noſtris proſternimus preces noſtras, ſed in multitudine miſericordiarum Domini. Quare hic aliquid de meditione humilitatis aſſumendum eſt: Quoniam verè DEUS *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Altera, nolle me quicquam petere, niſi quæ & quomodo placeāt divinæ bonitati, idque ad majorem Dei gloriam, & honorem ex animo. Itaque ex toto corde clamandum. *Veruntamen non mea, ſed tua fiat voluntas.*

Poſt proteſtationes venietur ad Petitionem, quæ multis formari poteſt modis, eumque quiſque aſſumat, quem experitur ſibi aptiorem, etiam variet identidem levandi tedij gratiâ.

Primus

Primus modus.

Repræsenta Deo tuas necesſitates, & præſertim hujus, vel illius virtutis indigentiam, ut ulceroſus mendicus ad januã divitis. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, Domine ante te omne deſiderium meum, vides me ex hoc laqueo evadere non poſſe. Ego palmes, tu vitis, ego ſervus vernaculus ſum tuus, ſi ſubtraxeris manum tuam benedictus ſis: quia etiam pejora promerui, ſi illuminaveris oculos tuos ſuper me benedictus ſis, quicquid dederis tuum eſt, & tuo impendetur obſequio Tuus ſum tracta me juxta beneplacitum tuum.*

Secundus.

Non ſolùm repræſenta neceſsitates, ſed expreſſè auxilium pete in hac neceſſitate, vel circa hanc particularem.

Veni impone manum tuam, & vivam.
Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
Attende Domine & miſerere.
Amove ame plagas tuas.
Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.

Tertius.

Pete auxilium ad bene petendum.

Adjuva Domine incredulitatem meam,

Quid & quomodo petam nescio.

Spiritus tuus postulet pro me, gemitibus inenarrabilibus.

Similis sum pullis corvorum, qui nec habent quo egent, nec sciunt exprimere quid velint, tu tamen das escam invocantibus te, utcunq́ sciunt.

Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, ut etiam in orando mecum sit, & meum laboret.

Quartus.

Utendum est sæpe obtestatione, & obsecratione eorũ quæ chara sunt Deo. *Respice in faciem Christi tui. Si foetent coram te foeditates meæ: est odor filij, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Obsecro per bonitatem tuam, quæ dat omnibus affluenter. Per misericordiam, quæ nec abyssum miseriarum dedignatur. Per potentiam tuam, quæ imperat mari, & ventis, & fit tranquilli-*

tas magna, Per ardentem charitatem tuam, quæ nec proprio filio pepercit pro vili mancipio.

Quintus.

Per interrogationem fiduciæ plenam.

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?

Ubi Patres nostri, qui clamaverunt, ad te, & salvi facti sunt?

Nunquid cum iratus fueris, non etiam misericordiarum recordaberis?

Nunquid oblivisci poterit mater infantis uteri sui?

Ubi infallibilis fides promissorum tuorum: Petite, & accipietis? tu tibi debes, mihi nihil debes: Damnare me potes, negare te ipsum non potes.

Sextus.

Confugiendũ ad patrociniũ Sanctorũ.

Succurrite Sancti Dei omnes, in portu estis, adjuvate laborantes in navigando. Et vos per ista transistis, tentati per omnia ut compati possetis infirmitatibus nostris. Si charitas, dum nobiscum essetis urgebat vos, ad tantam fratrum nostrorum sollicitudinem, quantò nunc magis,

magis, cum ad perfectum cumulum pervenerit? Atque hæc omnia urgentius inclamanda sunt ante pedes Matris Dei.

Proderit & per virgines petere puritatem; fortitudinem per Martyres; Charitatem per Apostolos: & sic de alijs.

Septimus.

Per longanime desiderium. *Quando erit tempus Domine, quo ædificabis muros Hyerusalem? Quando evadam in alterum virũ? Quando sanabis cõtritiones meas? Quando videbo bona Hyerusalem? Quando cor mundũ creabis in me Domine? Longe quidem à salute mea verba delictorum meorum: sed prope est in januis misericordia tua.*

In his omnibus illud advertendum est etiam atque etiam, ut hæc non exprimãtur vehementi conatu, qui caput affligat, ac defatiget: Hoc enim negotium potiùs peragitur animi quadam pace, profundâ humilitate & plenâ fiduciâ, ad quam excitandam habes superiores meditationes.

In de-

Indevotionis, ac distractionis remedia.

CAP. XXI.

ORatio quâ meditamur, aut petimus, quò nobis fructuosior est, eò magis Dœmonũ infestationibus agitatur. quoniam & illic amittunt quæ acquisiverunt, & inde vident nos armari ad pugnam adversùs eos, quare ut incautos & inermes invadere possent, omnibus artibus animum ab orationis intentione conantur avocare; ut propterea dixerit unus Patrum Sanctorum in Ægypto. In nullo opere vitæ regularis pati se duriores pugnas ac difficultates, quam orando. Contra vero nos omnibus auxilijs juvari oportet, si bene orare cupimus, & quamvis ad id nitimur, vix tantam muscarum circumvolitantium multitudinem effugare poterimus. Quanto minus si oscitanter, & incautè ad tam arduum opus accedamus? Remedia autem

autem præcipua ferè ista sunt.

Primò.

Præpara animam tua ad opus Dei cum primùm surgis à somno, primùm mentis tuæ pabulum sit, Deo gratias agere de nocturna custodia, & exclamare, *Annos æternos in mente habui; quando ero liber ab his vicibus somni, & vigiliæ?* suspira tanquam perigrinus ad Patriam, ubi te cœli cives expectant, versiculum aliquem, quo piè soles affici repetendo: aut etiam canendo, donec aliquantisper cor incalescat. Calidum vero, continuo ad meditationem quam proxima nocte præparasti applica.

Secundo.

Commenda te Angelo Custodi, ut assistat oranti, & Satanam vexantem repellat, implora etiam alicujus Sancti Patrocinium.

Tertio.

Cùm adverteris evagationem, redi patienter ad iter. Hæc patientia non

parvi

pârvi meriti est apud Deum, & in redeundo signa te signo Crucis salutis nostræ, & aliquem tibi dolorem inflige velut pœnam, ac super omnia maxime caveto ne ob attentionis, devotionisque defectum, ab oratione discedas. Hoc Satan cupiebat, & factus voti compos exultabit. In hac derelictionis internæ Cruce persistas, quæcunque cogitationes in cor tuum accedant, & clament, *Descende de Cruce*. Gratius hoc est Deo sustinentiæ & resignationis obsequium, quam in spirituali prosperitate lætitia.

Quarti.

Sæpe insipida cogitatio, pœna est præcedentis distractionis. Ut inutilia quærere, & admittere, quascunque visitationes, cœremonias, corporis commoditates, confabulationes, cogitationes, aliaque id genus: & tunc esse velle devotum, est manifeste tentare Deum, non minus quam si mundum habere triticum cupias in horreo, quod pateat omni ven-

to; pulverem, lolium, lutum, lapillos convehenti. Omnibus cogitationibus, quas obedientiæ charitatis atque valetudinis necessitas non exigit, tanquam bestijs segetem vastantibus oppone sepem, hoc est rigidam sensuum custodiam; nam si velis satisfacere omnibus cœremonijs mundi, Carnis, & sanguinis: quæ seminaveris, hæc & metes.

Quintò.

Proderit, etiam Sancta simplicitas, quoniam *cum simplicibus sermocinatio ejus*, & revelat parvulis quæ à sapientibus, & prudentibus abscondit, Sunt qui prudentiam adamant, eamque aulicam: toti excogitandis ijs quæ illam augeant. Si quid pium in familiaritate audiant: irrident, & ad Novitios ablegant, Prudentes in oculis suis, & subsannatores simplicium. Nisi convertantur, & fiant sicut parvuli, evanescent in cogitationibus suis. Erunt sicut myricæ in deserto non videntes cum venerit bonum. *Mon-*

tes

tes Gelboæ nec ros, nec pluvia veniat super vos. Et nisi Superiores in hac simplicitatis virtute præeant exemplo: frustra jacient rete ante oculos pennatorum, tunc subditi fient oves, cum puer parvulus minabit eos. Olim major erat devotio, quia major simplicitas, apertis mox oculis, refrixit, *Sexto.*

In occupationibus etiam ab obedientia impositis, non ita se tota mens effundat, ut Spiritus refrigescat hoc enim est contra obedientiæ mentem.

Literarum itaque studia Spiritu mensurentur, non è conversò? Et si quæ in doctrina perfectio haberi non potest nisi Spiritu tepescente, ea contra Spiritus institutum est: & ex nostri amore descendit. Quid mirum si sint tot qui speculationibus mentem arefaciunt? quantùm in literis proficiunt, tantum in Spiritu deficiunt? *Nemo potest duobus Dominis servire.* Angustus est animæ lectus, non capit duos, & nisi modus adhibeatur. Scientia

quidem crescet, sed inflabit, & refrigescet Spiritus.

Septimo.

Jaculatorijs affectibus utendum est interdum quanto crebriùs potest; materiam exhibebunt meditationes superiores de Gloria Paradisi &c.

Octavo.

Cùm adhibitis quæ possumus remedijs cor adhuc friget? prodest nō parum legere pias meditationes attente, & si una non moveat, ad aliam transgredi, est enim pia lectio, tanquam palus vitem animæ sustentans.

De III. INSRUMENTO hoc est exercere actus virtutum.

CAPUT XXII.

SI quæ ardenter petimus non conemur etiam prout possumus exercere, atque implere oblatis occasionibus, vanæ erunt petitiones nostræ. Semper enim

cum petimus aliquid, obtinemus auxilij, quo si non utimur ad opus Dei; defodimus talentum datum, digni ut quod datum est auferatur. At si accepto talento negociamur, multiplicabit Dominus talenta justitiæ nostræ. Si optarem verè sanitatem consulente medico, ut V. G. deambulem aliquantisper, ad id conarer quantum possem, at si conarer plura possem, quia per hæc remedia convalescerem. Si expecto tantùm auxilij ut nihil operando laboris sentiam, lecticâ volo devehi in cœlum. Et Sancti sensère difficultatem, & vicêre, Et de multis legimus Martyribus qui cum ad tormenta ventum esset graviter trepidârunt, implorato tamen nomine Domini vim repugnanti naturæ intulerunt. Ita cum occurrerit occasio exercendæ humilitatis, patientiæ, obedientiæ paupertatis charitatis; trahe vel invitam naturam, velut recalcitrantem equum, quoniam *Regnum coelorum vim patitur, & vio-*

lenti rapiunt illud. Nam si differas de die in diem, qui non est hodie, cras minùs aptus erit. Recalcitranti tibi tanquam severus tortor insulta. Hic est fructus tuarum simulatarum devotionum? Miles semper animosus es præter quam cum pugnandum est. Et quia imbecilla hominum memoria, non potest in promptu habere tam multa, quæ in meditationibus sparsa sunt: cum tamen omnia & singula exercenda sint aliquando: in memoriæ subsidium brevem hunc elenchum, seu indicem subjecimus omnium affectuum piorum, qui virtutibus supra expositis proprij sunt: ut contuentes uno aspectu affectus omnes in quibus exercendi sumus in horas quotidiana frequentatione, familiares eos nobis reddamus.

Est aute triplex horum affectuum ordo.

1. Erga se ipsum.
2. Erga Deum.
3. Erga proximum.

Affe-

Affectus erga se ipsum sunt illi omnes qui amorem sui extirpare possunt ab anima.

Illos igitur oportet esse sæveros, imo etiam quasi crudeles. Nam quantum cunque in se ipsum aliquis desævire videatur; parum tamen præstabit, si non finget potius odium sui, quàm verè oderit, non enim injuriâ clamat Apostolus. *Nemo carnem suam odio habuit* ; & *omnes quærunt quæ sua sunt.*

Itaque affectus hi remissi nequaquam esse debent, sed potiùs æquò asperiores. Ut enim ad media pervenias, summa tibi proponas oportet: dummodo illud altè defigas in tuo corde; hæc assumi in remedium humilitatis, & abnegationis tuæ. Cui postquam vacatum est, reliquo toto die cor dilatandum est in lætitiam Spiritus, & gaudium in Spiritu sancto. Quoniam tristitia affligit caput, pusillanimem facit, exsiccat spiritum, ut si peccandum sit, in alteram partem po-

tius, quoniam peccandum sit: *hilarem datorem diligit Deus.* Et dilatato corde facilius curritur in via Dei, unde Apost. *Gaudete, &, iterum dico gaudete.* Hujus autem lætitiæ materia suppetit ex affectibus erga Deum, ex gloria Paradisi, & ex meditationibus excitantibus fiduciam in Deo. Notandum est illud, quamvis affectus hi propriè convenire videantur magnis peccatoribus, esse tamen ab omnibus exercēdos in suo gradu, tum quia nihil ab uno homine peccari potest, quin possit ab alio nisi Deus impediret vel gratiâ, vel aliqua naturæ qualitate: tum quia etiam Sancti experiebātur in se ipsis horribiles quasdam tentationes, seu passiones, & pessimas inclinationes, quarum victoria Dei munus est.

Tum quia quotidiani lapsus nostri quamvis in materia levi, magnam tamen nobis ad humilitatem, & odium nostri præbent materiā, si consideremus quantum Numen offendatur, & à quantulis,

&

& quantâ beneficiorum mole obligatis.

Primus itaq; Affectus est.

Conceptus, tanquam de pessimo, & nequissimo omnium hominum, quo nihil detestabilius Deus videat in regno suo.

Secundus.

Horror, & nausea, tanquam de animalculo quod Domino suo relicto, præcipitavit se in lacum horrentem tenebris ignorantiæ & errorum: plenum Scorpionibus & vepribus odij, invidiæ, impatientiæ, rancoris, malignitatis in alios: opletum intolerabili & densissimo fumo superbiæ, arrogantiæ, præsumptionis: computrescentem omnibus sordibus, & immunditijs concupiscentiæ.

Tertius.

Erubescentia, contemptus, confusio, quæ operiat faciem suam semper: ac si pudenda ejus revelasset Deus omnibus gentibus. Erubescendum enim magis à Deo illa sciri, quam à toto mundo. Ita sis semper cum de te cogitas, pudibun-

dus, & triſtis: ac ſi momentis ſingulis expectares vel ſententiam qua citareris ad judicium, vel raptores, qui te de carcere rapiant in patibulum.

Quartus.

Odium & abominatio velut contra rebellem, furciferum, & contra prophanatorem Univerſi: omnibus enim creaturis abuſus eſt, aut fuiſſet abuſus quod in ſe erat, niſi Deus obſtitiſſet.

Quintus.

Indignatio, & ira in perpetuam ultionem rabidi canis, ac lupi, qui laceravit filium Domini ſui. Noſtra enim peccata filium Dei crucifixerunt. Unde ſi alia ultio ſumi non poteſt; crebris increpationibus, contumelijs, opprobriis, exprobrationibus inſectandus. &, ſicut quilibet inimico ſervit invitus, & nocet ultionibus: ita cum tibi neceſſaria ſubminiſtras, amarus ac triſtis eſto: cum flagella, lætus atque alacer.

Sextus.

Ingratitudo, ut tuorum tibi laborum præmium nullum quæras, aut reddas: te itaque onera, & onerandum trahe laboribus omnibus: ſed ab ijs, pro quibus laboras nihil expecta gratitudinis, ſed malum pro bono. Aſſueſce omnibus benefacere, & ab omnibus mala pati. Quare expecta, & quære vilia in veſtitu, in cibo, in cubiculo, & in cœteris. Examina, & videbis non pauca quæ circumcidas ex commodis.

Septimus.

Admiratio, quod te adhuc Creator, & creaturæ tolerent: tua te protegit hypocriſis, & extrema DEI miſericordia. Non te præpares ad delicias, quicquid nunc mali, quod minus gehenna ſit, pateris, beneficium eſt.

Octavus.

Severitas in ſubigendis tuis appetibus, voluntatibus, guſtibus judicijs inſurgentibus. Memor eſto ex ijs quænam mala exper-

expertus ſis, & experieris: quare omne tuum dictamen, & motus ſuſpecta tibi ſint. Ideo tui carnifex eſto.

Nonus.

Diffidentia ſui
- 1. In via virtutis.
- 2. In talentis, & habilitatibus.
- 3. In te ingerendo ad magna opera.

In via virtutis. Nam ſi quid boni motus experiris, DEI munus eſt, te retrahentis à lacu miſeriæ, ſed paulo poſt tamen iterum, atque iterum te dabis in præceps: virtus tibi agglutinatur ſputo, quod cito areſcit.

In talentis, & habilitatibus tuis, in conſilijs prudentiæ tuæ. Quoties ſcoria tibi ſplendeſcit pro auro? adhibe æmulos, & docebunt te, de te.

In te ingerendo ad magna opera. Pro gloria Dei minora potes quam præſumis: te quæris vendere, non Deum glori-

glorificare. Nam si Deum quæris, cur doles ad magnas res alios assumi non te? quod si qua in re Deus tuo utatur ministerio, scias eum frequenter uti mandibula asini, vel fractis lagenis contra Iericho. Mox ea quibus usus est projicere, nec desinere eas mandibulas esse & lagenas.

Affectus erga DEUM.

Cap. XXIII.

Primus.

HUmilis adoratio cum timore, & tremore ex conscientia peccatorum & vilitatum, præsertim in templo, & in rebus sacris. Quid prophanus in sanctuario? ad divinæ præsentiæ majestatem ubique ex centro, & nihilo tuo contremisce; ut folium sub turbine ventorum, & fugitivus passer inter fulgura.

Secundus.

Est pœnitentiæ luctuosæ, & semper lugentis sua delicta.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.
Peccatum meum contra me est semper.
Miserere figmenti tui Domine.
Imperfectum meum viderunt oculi tui.

Tertius.

Vera sui oblatio in omne Dei beneplacitum.
Paratum cor meum Deus
Ut jumentum factus sum apud te.
Quicquid mihi evenit de tua manu accipio, statue quid velis.
Domine quid vis me facere?

Quartus.

Fidelitas, & zelus gloriæ Dei, paratus ad extrema omnia potiùs quam peccare in Deum, aut ab alijs pati nomen DEI blasphemari.

Quintus.

Laus, glorificatio, actio perpetua pro tot misericordijs gratiarum.

Sextus.

Spes & filialis decursus in omnibus difficultatibus. *Revela Domino viam tuam,* cum

cum ipſo ſint conſilia tua, nec parvum, nec magnum aggredere, niſi Deo commendatum: & certo crede, Dei miſericordiam eſſe majorem tuis demeritis, nec defuturum inter quoſcunque fluctus, & naufragia te videas?

Septimus.

Amor dulcis, & jugis liquefactio, admiratio, deſiderium, familiaritas, acſi ſemper coram Deo, quem in omnibus, & per omnia videre potes ſi vis, præſens adeſſes: nam *ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

Affectus erga Proximum.

CAP. XXIV.

Primus.

AMor, fidelitas, cœca obedientia erga Superiorem, tanquam erga perſonam Chriſti. Cœtera ne conſideres alioquin aut egrè obedies, aut recepiſti mercedem tuam. Aperias ei libenter animam tuam: hunc enim Deus, & Patrem tibi dedit, & Medicum.

Secundus.

Humiliatio vera sui, sub quolibet etiam minimo. Idq́; quantum decet, & gestu, verbo, loco profitere, paratus ab omnibus corripi, & doceri.

Tertius.

Patientia, & mansuetudo in calumnijs, irrisionibus, in oppresśionibus, & sui contemptu. In censum tuum hæc omnia cadent. Age gratias quod te adjuvant ad abnegandum tui amorem, ad texendam tibi purpuram Christi. In his itaque vel fatere si peccâsti, vel tace, vel præbe satisfactionem contra scandalum, vel elude ironicè, ut occasio docebit: aut si expediat, expone causám tuam superiori, & quiesce.

Quartus.

Justitia, ut risus in laudibus, quas tuæ tribuunt hypocrisi, non vident quid lateat in sepulchro dealbato. Nihil posside in alienis judicijs de te. Si quid tale posśideas; te inquietat, excœcat, & ludificat,

dificat. Dominus tantum ſit pars hæreditatis tuæ.

Quintus.

Libertas Spiritus. Tum in negotio Dei, & in valde probabili veritate tuenda: modeſtè, & efficaciter, ſemper tamen ſalvâ pace, quâ nihil Deo charius eſt; & humilitate, quâ alijs cædas libenter in dubijs. Tum in obeundis mortificationibus: à quibus nullus te pudor deterreat. Quid obliquiùs, quam velle agere meretricem in malis, virginem in bonis?

Sextus.

Prudens ſimplicitas in converſatione. Prudens, ne quid contra proximum aut Deum agas, ne ex culpa tua ridiculus ſis: aut ne eligas pro Chriſtiana lætitia ſervilem, & inverecundam. Nam verecundia, & erga ſeniores reverentia, maximè juniores decet. Prudens, quia ne omnia quidem bona, publicè dicenda. Simplex, ut caveas aulicam aſtutiam, aut ſtudium

contradicendi : ne erubescas loqui de rebus pijs. Quem enim pudet loqui de arte quam profitetur?

Septimus.

Materna in quemlibet dilectio. Per quam de alienis bonis, ut de suis, aut divinis gaudeat, gratuletur, tristetur, ac misereatur malis, non secùs ac proprijs. Adjuvet proximum in omni necessitate corporis & Spiritus, oret pro omnibus, neminem judicet, aut infamet: sed tegat, excuset, emendet.

Quo ordine, & quibus temporibus predicta tria instrumenta tractanda sint.

CAPUT XXV.

QUamvis ista res melius perficiatur spiritualis Patris consilio, qui singulis juxta eorum qualitates accommodare potest remedia : Regulare tamen existimarem, si aliquid non obstet, horum trium instrumentorum tractatum, &

& usum, ordinandum esse hoc modo.

Primò.

Meditationes virtutibus hîc assignatæ, videntur obeũdæ horâ matutina orationis, cujus prior dimidia pars tribuatur humilitati, posterior fortitudini. Sequenti vero die, semi horâ unâ meditandum est de obedientia, altera de charitate. Atq; ita alternis diebus variandum propter maximam harum virtutum necessitatem, & connexionem inter se. Et ne frequentatio pariat satietatem: Harum virtutum singulis assignata est magna copia meditationum, quæ si per hebdomadam distribuantur, vix ad eandem reditur post decimum quemque diem.

Secundo.

Ad finem autem cujusque meditationis addatur petitio, uno, pluribusve modis superiùs explicatis.

Tertio.

Paupertatis, & castitatis meditationes, satis erit legere ter, aut quater in mense

cum plùs exercitatione, quæ meditatione indigeant.

Quarto.

Idem judicium eſt de iјs, quæ tradita ſunt, tum de meditandi modo, tum de remedijs, indevotionis & diſtractionis.

Quinto.

Inſtrumentum tertium, hoc eſt actuum & affectuum exercitatio; tota die tractandum eſt quoties occaſiones ſeſe obtulerint, aut commodè quæri poſſunt.

Sexto.

Jaculatorijs, precibus reſervari poſſent meditationes de Paradiſo, & de dulci, teneroque affectu in Deum.

Septimo.

Tempus ad examinandam conſcientiam datum, expendendum videtur hoc fere modo.

1. Quia morbi cognitio primus eſt ad ſanitatem gradus quilibet conari debet: ut partim ſuo ipſe examine, partim divino lumine implorato, partim Superiorum

rum monitu rectè intelligat, quibus laborat imperfectionibus, & quibus egeat virtutibus.

2. Examinandum est, quantum eo die profeceris aut defeceris, & quæ fuerint deficiendi occasiones: ut caveas in posterum, nec sine punitione prætereas quod peccasti.

3. Hoc particularè examine peracto, transeas ad generale. Quod consistit in prælegendis tribus affectuum ordinibus, ut videas eodem modo quantum, & cur in singulis proficias, aut deficias; & defectus punias. Partem autem illorum affectuum percurrere potes examine antemeridiano, partem serotino.

Octavo.

In Missæ sacrificio sive faciendo, sive audiendo, quotidie aliquid de Passione Christi, quæ illic recolitur meditandum est: quam meditationem Sacerdotes per Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam deberent extendere propter ejus utilitatem,

tem, commendando semper Ecclesiæ necessitates, patienti Sponso.

Nono.

Ad vesperas, & completorium paulo amplius se possent effundere in meditationes, pr cibus jaculatorijs attributas.

Decimo.

Ad Matutinum, & laudes nihil esse puto utilius, quam ut constanter, & attentè considerentur ac exercitentur septem affectus erga Deum, præsertim actio gratiarum, particularius descendēdo ad beneficiū Creationis, Providentiæ, Redemptionis, Fidei, Baptismi. Religiosæ vocationis (si es Religiosus) ubi & prolixiùs esset orandum Pro Ecclesia, cum illic oret Sacerdos ut Ecclesiæ minister.

Undecimo.

Hoc ordine, & modo qui tria illa instrumenta tractaverit, dubium non est, eum in virtutibus valde profecturum quamvis id semper non experiatur. Isve nec perpetuis gaudeat consolationibus,

nec

nec à tentationibus, sit immunis. Hæc enim Deus ad humilitatis custodiam permittit, idque tamdiu, quam diu ei videbitur hoc enim totum illius Providentiæ & charitati committendum est; Non enim est servi scrutari arcana Domini sui. Sed postquam quæcunque potuit fecit ut hæro suo placeat , in silentio quiescere debet, expectando Dominum ac ejus visitationem cum Psalmista: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.*

Conditiones Orationis.

CAP. XXVI.

UT auditum facilem habeat apud Deum nostra Oratio, his debet conditionibus fulciri. *Primo.*

Necesse est ut sit *Fidelis*, idest ut certissimo confidat, & speret si quicquid boni rectè petierit, à Deo se impetraturũ cum hoc Christus doceat. *Amen, amen*

dico

dico vobis quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Hanc conditionem adeo orationi necessariam exigit S. Jacobus in sua Canonica dum inquit: *Si quis vestrum indiget sapientiâ postulet à* Deo, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, postulet autem in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat similis est fluctui maris.*

Secundo.

Humilis. Oratio enim humiliantis se penetrat nubes; quod præclarè cernere est, in Publicano illo Evangelico, qui *stans à longe non audebat oculos ad coelum tollere, sed percutiendo pectus orabat, Deus propitius esto mihi peccatori.* Nec mirum, si rediit in domum suam justificatus ab illo jactatore vanissimo Pharisæo, qui orans gratias Deo agebat, quoniam sibi videbatur non esse sicut cœteri hominum: velut etiam hic Publicanus. Unde & in conspectu Domini reprobata fuit oratio plena superbiæ & jactantiæ, & aliorum contemptu, & sui complacentiâ. Si quis ergo

ergo orans se visitari à Deo velit, humilietur magis, & se inferiorē cœteris teneat, alioquin *Deus superbis resistit, humilibus autē dat gratiam.* Itaq; non est aliquando mirandum si qui semper consolationibus abundârunt imperfectiores postea desolatis evadāt; fieri enim potest, ut in cōsolatione superbierint, ac propterea nullā in oculis Domini gratiā invenerint. Atq; ideo nihil præstātius, quā cum Abrahamo oraturo, de profundo vilitatis nostræ exclamare. *Loquar ad Dominum cùm sim pulvis, & cinis.* Nec enim Paulus Apostolus prius vas electionis factus est, & ad Apostolatûs apicem admissus; quàm divina virtute ab equo projectus, & ad terram allisus atque prostratus, est humiliatus.

Tertio.

Pia. Pietas quoq; necessaria est in oratione, quæ bifariam dividitur. Est enim erga nos ipsos, & erga Proximum. Nostra itaque oratio pia sit, nempe postulando bona vel ad nostram, vel ad proximorum

salutem, & perfectionem conducentia. Quicquid enim petierimus Patrem in nomine JEsu dabit nobis, ut ipsemet in Evangelio spospondit. JESUS autem Salvator est, & ad salutem pertinentia si quæ petierimus, non præterit surdis auribus.

Quarto.

Devota. Ut possit dicere cum David. *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum ante conspectum tuum.* Devotio autem promptitudo illa est voluntatis, & conformitas cum divina voluntate; ut idem cum illa velit, idem nolit, & quæ eadem animi alacritate quicquid à Domino datum fuerit, prompte recipit & amplectitur. Desiderium item suum cum divina uniendi voluntate.

Quinto.

Non vocetenus, sed intimis præcordiis emissa. Deus enim non oris, sed cordis petitiones respicit, & condonat. Quamobrem cum Anna Samuelis Matre corde clamandum

eſt ad Dominum. Id eſt vivis, veriſque gemitibus, non remiſsis, & languidis. *Vox enim illius*, inquit ſcriptura, *penitus non audiebatur*, ne fortè reprobati audiamus à Domino, quod & Hebræi. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.*

Sexto.

Aſsidua, & perſeverans. Oportet enim ſemper orare, ſuis V. G. temporibus, & juxta Apoſtolum *ſine intermiſsione* orandum eſt, nec ſine cauſa & myſterio in Actibus Apoſtolorum, cùm mirabilis illa S. Petri è carcere nocturna eductio divinitus per Angelum facta narratur, additum eſt ante à S. Luca. *Oratio autem fiebat ſine intermiſsione ab Eccleſia ad Deum, pro eo.* Ut eâ re indicetur, vi perſeverantis in orationibus Eccleſiæ impetratum, tantum in tanto Principe beneficiũ. Quamvis enim nollet amicus ille de quo in *Evangelio Lucæ* XI. aſſurgere, & jam media nocte dare panes indigenti amico,

dedit tamẽ propter alteriꝰ importunitatem, itaque improbitas illa, & perseverantia extorsit, quod modestia non potuisset, quam Christus Dominus parabolam egregiâ illâ clausit promissione, & sentiâ. *Petite, & dabitur vobis, Quærite, & invenietis, Pulsate, & aperietur, omnis enim qui petit accipit.* Cui etiam aliam perpulchram addit similitudinem de Patre, qui nihil negare potest petenti filio, atque inde mirum subnectit argumentum. *Si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis &c.* Alio autem loco ibidem ab eadem Veritate Vidua quædam inducitur quæ improbitate sua iniquissimum Judicem flexit, qui nec DEum timebat, nec homines reverebatur. *Multum* itaque *valet apud* DEUM *precatio justi assidua.* Jacob. in sua Canonica.

Impe-

Impedimenta Virtutum.

CAP. XXVII.

Primum.

Q*uia nos sincerè non resolvimus ad serviendum Deo.* ex quo defectu resolutionis, nascitur in nobis tepiditas, & negligentia in rebus spiritualibus : ista excitat quandam difficultatem in vincendis & mortificandis suis passionibus, ex eadem etiam procedit quod non quærantur media ad faciendum profectum. Propterea docet S. Dorotheus quòd homo Spiritualis debet facere sicut ille Philosophus, qui volendo evadere perfectus in Philiosophia , quærit omne medium quo possit juvari ad hunc finem. Et quod non quæramus media, oritur ex propria voluntate & inobedientia, & hoc est, ut dicit Cæsarius, ex eo fit quia cor nostrum DEo aperire nolumus per orationem, exercitia, examina, per mortificationes, per desideria. quod juxta prædictũ Cæsarium

ſarium ſignificatur per illa verba, *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis.* hoc eſt petite orando, quærite laborando, pulſate deſiderando, proficietis & perſeverabitis. Nam qui cor Deo apertum habet, omnis res illi apparet dulcis & ſuavis, & è contra qui non eſt fundatus ſuper hanc petram, hujus fabrica eſt in maximo periculo, ne ubi venerint pluviæ paſsionum, flumina tribulationum, venti tentationum, tota corruat. Talium eſt cor una ſolitudo per quàm liberè vagantur ut beſtiæ, cogitationes.

Secundum.

Secundum impedimentum ſunt ſcrupuli, & certæ dubietates ac timores, propter quos homo in omni ſua actione timet, ne fortè conſenſerit. Et talis eſt ſimilis Iſraëlitis, qui videndo venientes Ægyptios, metuebant, & non conſiderabant, quòd Moyſen haberent ſecum, qui nobis ſignificat Superiorum & Patrum Spiritualium directionem, neque attendebant

ad hoc quod illos sequeretur Angelus cum nebula, hoc est gratia cum divina benedictione.

Tertium.

Animo concidere. & hoc potest provenire ex quinquæ vel sex capitibus, quorum primum est.

1. Nimia consideratio asperitatis in via Spirituali, cogitando quantum debet esse obediens, quantum patiens &c.

2. Quia considerat potentiam inimicorum, de quibus S. Paulus. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, sed* contra Dæmones, *& potestates tenebrarum.* Remedium hujus mali est, considerare. Si nos inceperimus, Deus adjuvabit, cùm sit Dominus Exercituum, & poterit nobis in succursum mittere unam Legionem Angelorum, sicut misit Eliæ.

3. Nimia apprehensio longitudinis temporis, quo est laborandum in via Domini, quod ipsum Hebræis accidit, dum cogitarent se debere longissimum

iter facere in terram promissionis, ut ait Scriptura; despexerunt terram promissionis. Remedium est, considerare quòd vita nostra brevis, & præmium est æternum.

4. Commoditates corporales, dum cogitat quis, se in nullo debere suæ voluntati satisfacere. Remedium est: sperare in Domino, quod neque in temporalibus te destituet, sicuti fecit Israelitis, quando patiebantur sitim, tum aquam illis de Petra eduxit, demisit ex aëre Manna, & coturnices.

5. Ad hoc impedimentum refertur illa molestia quæ est in subjectione Patris Spiritualis, dicendo: non plus ille scit quā ego. Ille me non meliùs diriget; sine illius Consilio bene possum progredi. Hoc verò vitium valdè displicet Deo.

6. Ad hoc item impedimentum pertinere videtur Ablatio consolationum Spiritualium, quod aliquando inveniamus nos in desolatione tam interiore quàm exte-

exteriore, ac si essemus derelicti à Deo & ab hominibus, imò ab his contumelijs & injurijs contingit affici, quo casu qui non est solidus, faciet, sicut fecerunt Israelitæ, qui cùm non invenissent Moysen à quo soliti fuerunt accipere consolationes, ille autem in monte morabatur cum Deo: cœperunt comedere, bibere, cantare, ludere, imò adorare vitulum: ita servus Dei qui non est solidus, ubi destituetur consolationibus spiritualibus, incipiet quærere exteriores, quærendo in re omni suum gustum ac æstimationem.

Quartum.

Et hoc impedimentum fortassè est majus alijs hactenus enumeratis, estque *Amor proprius*, qui potest esse duplicis generis, bonus scilicet, & malus. Bonus est cùm homo seipsum amat per ordinem ad Deum, juxta ejus nimirum Sanctam voluntatem. Malus & inordinatus amor est, quo aliquis se amat non propter Deum, sed propter se, & de hoc est in

præ-

præſentiarum ſermo. Proinde amor hic non eſt aliud quàm affectus inordinatus quo ſibi ſuoque bono aliquis intendit illud ad ſuum commodum & intereſſe referendo, & hic amor reperitur, vel in rebus ad corpus, vel in rebus ad animam ſpectantibus. Quæ corpus concernunt ſunt duplicis generis: vel illi ſcilicet intrinſeca, vel extrinſeca. Intrinſeca ſunt, uti noſtræ paſsiones & appetitus, quibus amator ſui, dum ſatisfacere conatur oblitus Dei, ſolùm ad hoc attendit ut expleat, quod paſsio poſtulat. In rebus exterioribus quærunt commoditates ſenſuum, vel in victu, vel in veſtitu, vel in fuga laborum. In victu quidem ſpecie neceſsitatis quærendo voluptatem, quia hoc proprium amoris ſui, requirere non quod eſt neceſſe, ſed quod delectat: & ubi ſufficeret parùm, aut aliquid deterius pro ſuſtentatione corporis, multa poſtulare. Videmus quibus panis & aqua ſufficit ad victum, & illi antiqui Patres
in

in Ægypto ſcimus quàm paucis fuerint contenti. & hoc ſolet ordinariè accidere illis, qui poſtquam cœperunt ſervire Deo in ſpiritu, hunc amiſerunt. Eodem modo in veſtitu amor proprius non eſt contentus ijs quæ explent neceſsitatem, ſed quærit commoditatem, & hoc quod placet: unde res meliores ac novas quærit. Hoc idem circa res alias contingit, in quibus guſtum ac voluptatem ſectatur, & ad hoc pauper non advertit quòd ſeipſum decipiat, nam ſi eſt Religioſus, ita procedendo paſsim amittit meritum obedientiæ; ſicuti, exempli causâ, cum obedientia præcipit ambulare, hic non habet pro fine ut ſatisfaciat obedientiæ, ſed ut ſe oblectet in ambulando & tempus fallat, & non advertit, quodſi hoc ipſum faceret ex obedientia, lucraretur meritum, & inſuper ſe recrearet. Talis etiam non vult fatigari, nam eſt nimis certum, quòd amatori ſui non poſsit res magis contraria evenire, quàm ſeipſum fati-

fatigare, unde quando illi occurrit modus se excusandi, vel dicendo, se non posse, vel alius modus evadendi, illum arripit, vel saltem murmurat, & tales fugæ valde sunt suspectæ, ne procedant ex eo, quòd non sapiat Deus. Videmus Operarios multos toto die laborantes in multo sudore & fatigatione & vix adhibentes panem & aquam, ut tantùm pecuniam conservent: Servus verò Dei conqueretur de fatigatione? Confusio hæc est nostra, quod plùs in corde istius operetur spes pecuniæ, quàm in nobis spes Deum, & ejus amorem lucrandi.

Jam restat ut ostendam, quomodo amor proprius occupat animam, non solùm quando agitur, de scientijs: sed etiam circa res spirituales.

Primum est. Cùm multos Dei servos sit necesse occupari studijs literarum & scientijs, ut sic meliùs possint servire suo fini, & Ecclesiæ, atque proximo: quod tamen absolutè neque ad propriam, neq;

ad alienam salutem est necessarium, licet sit valdè utile. Acquisitio autem scientiarũ triplici modo se habere potest. Vel propter voluptatem quam aliquis habet, dum speculando tandem ad veritatem pervenit, ex quo intellectus suam acquirit satisfactionem: voluntas etiam expletur, & ex hoc fit maxima contentatio, & voluptas animi sequitur. Alter modus quo scientiarum acquisitio se habere potest, ut aliquis in illa Scientia perfectus evadat, ut in ea discurrere ac disputare posſit. Tertius modus est, ut acquirat applausum & æstimationem, ut illum cœteri mirentur ac laudent. Sed amor proprius in his quos obediẽtia studijs applicat omnia invertit. Nam qui deberent studere propter obedientiã & honorem Dei, efficit ut propter se, id est propter proximè supradictos vanos fines studeãt. Unde q. vult experiri utrũ in suis studijs bestia sui amoris non lateat, oportet Superioris arbitrio acquiescere, ut ille

prosequi, vel relinquere studia jubeat, & si eo jubente, non ad tuum id gustum erit, & turbari incipies; tum bene cognosces, quòd non studueris ut Dei voluntatem impleres: nam si hanc pro fine habuisses, perinde tibi esset ex obediẽtia studere, aut studia omittere. Quocirca curemus esse ab omni re creata expediti, & soli Deo adhæreamus, pro quo cõsequendo juvabit Examen particulare, & actus virtutum, & ut semper puram intentionem habere enitamur.

Ultima est infectio *Amoris proprij* quâ res spirituales maculat, ita ut ubi aliquis magnum acquirere posset meritum & prœmiũ, incurrat offensam Dei & pœnam. Nam dum suas homo cõsolationes requirit, tam in exercitijs alijs suis spiritualibus, quã in oratione, dici illi potest. Recepisti mercedem in vita tua. Videmus hunc amorem sui in eo, qui dum habet consolationes spirituales, non vellet aliud quã orare & meditari usq; ad destructionẽ capitis contra obedientiã. Sed illi

Deus benedictus si suã manũ subtrahat, ad nihil boni attrahi potest. Neq; hæc ideò dico, quod non posſimus recipere libẽter,& desiderare consolationes ejusmodi, sed ut eas cum indifferentia desideremus,& cum intentione adimplendi voluntatem Dei. Voluntas autem Dei est, sanctificatio nostra. Quæramus Dei gloriam, gloria autem ejus est,ut nos toti & per totũ conformemur ad ejus sanctissimam voluntatẽ,quæ ipsa est nostra sanctificatio, & sanctificatio nostra est Dei gloria. Qui deniq; cũ hac indifferẽtia procedit, æquè recipiet cõsolationes ac desolationes. nam & consolationes ordinabit ad eum finẽ ad quẽ sunt datæ, hoc est ad virtutes acquirẽdas:&in desolatione gratias aget Deo,sustinẽdo illã patiẽter,& si invenerit quòd illi pro suis defectib9 sit immiſſa,nõ ideò à suis exercitijs spiritualibus desistet, sed humillimè defectuũ orãdo veniã,prosequetur actus virtutũ cũ pari diligẽtia & exactione,totum se & per totũ reponendo in divina voluntate.

SENTENTIÆ ET DOCUMENTA S. PHILIPPI NEREI.

DÆmon, utpotè ſuperbus, & amator tenebrarum Spiritus, nullâ aliâ meliùs vincitur ratione, quàm verâ cordis humilitate; & ſimplici clarâque, remoto omni velo, peccatorum ſuorum, ac tentationum Confeſſario factâ manifeſtatione.

2. Qui profectum in ſpiritu facere deſiderat, debet ſecundùm Patrum veterumque Monachorum regulas mundum putare pro nihilo, magni omnes facere; ſe ipſum contemnere, contemnique ab alijs nihil curare.

3. Semper ab humano pectore humilitatis Spiritum & ſubmiſsionem requiſivit Deus: nec eſt, quod illi diſpliceat magis, quàm propriâ ſui ipſius intumeſcere æſtimatione.

4. Cùm quod committitur peccatum vel defectûs; cogitandum eſt, in ſuperbiæ

pœnam

pœnam id à Deo permissum esse, estque perniciosissimum, suos excusare defectus. Ac propterea cum quis labitur, debet dicere: si fuissem humilis, nequaquam cecidissem.

5. Si quis defectûs admissi moneatur ab altero, debet monitionem eam animo hilari humilique accipere, nec ideò tristitiam, aut acediam admitere; quia sæpè est acedia talis, cui ex superbia dolet correctio, multò quam ille ipse, qui admissus erat defectus, damnosior.

6. Crux & tentatio nequaquam à Deo petenda sunt, cum quadam de proprijs viribus ad eas superandas præsumptione. Humiliter tamen ac confidenter peti ab eodem potest gratia ac vires, ad promptè hilariterque sufferendum omne id, quod Divinæ nobis imponere visum fuerit Majestati.

7. Dum quis ex morbo decumbit corporali, cogitare debet ac dicere: Isthanc mihi DEus immisit ægritudinem,

eò quòd quid à me desideret. Quare constituo omnino mutare vitam (tamen cum ipsius auxilio) & me ad frugem meliorem recipere.

8. Jejunia, flagella, & corporis afflictationes ejusdem modi, non debent sine Confessarij licentiâ adhiberi. Et quicunque id genus res proprio adsumit arbitratu, aut labefactabit brevi valetudinem: aut quòd sibi grande quid præstare videatur, in superbiam præcipitabit.

9. Quærenda quidem est scientia, sed sine curiositate & solicitudine. Quòd si quid didicisti, occule, nec ostenta; sed eo in vitam utere emendandam.

10. Magna cordis est perfectio, discretum esse, nec terminos prudentiæ transilire. Et multi tamen, eorum maximè, qui primum incipiunt DEO deservire, quòd virtute careant discretionis, vitam aggrediuntur asperrimam, & pœnitentias suscipiunt longè laboriosissimas, jejunando strictissimè, horrida portando

cilicia, super asseribus nudis dormiendo, vigilando, totasque perorando noctes. Quæ cùm ipsis improportionata sint, viresque illorum non modicè excedant, ideò deprehendunt tandem se & illusos & malè affectos indispositosq; tam quoad corpus, quam quoad animam.

11. Non ita medijs inhærendum est, ut finis, in quem media collineant, nulla omnino ratio habeatur. Quare vehementer errant illi, qui non nisi ad corporis per abstinentias, flagella, peregrinationes, cilicia, & id genus alia, attendunt afflictationem, in eaque conquiescunt, quasi omnis in ea sita esset perfectio; nec advertunt ea omnia media nihil omnino esse, nisi hominem ad timorem Dei, ipsiusque mandatorũ ex amore observationem, ad humilitatem, ad avulsionem à mundo, quo toto corde Deo deserviat, adducant.

12. Sunt nonnulli, qui sensim sese novis ac novis oneribus aggravent, im-

perentque sibi in dies singulos & coronas plurimas, & horas Virginis Sanctissimæ, & Officium Defunctorum & diversas orationes, alias in alios fines; & complura præterea alia. quæ ut fortè bona sint singula; omnia tamen simul, nimia sunt, & obruunt oraturum; ac tandem, superante nauseâ, omnino relinquuntur; præterquàm quòd tot onera mentalem impediant orationem. Bonum tamen est, certam aliquam sibi imperare devotionem, eamque seriò persequi, nec unquam intermittere.

13. Nil opus est omnia uno velle perficere die, & intra quatriduum, sanctum fieri; sed pedetentim & gradatim pergendum est.

14. Difficiliùs curantur illi, qui nimis multum; quàm incitentur, qui nimis faciunt parum.

15. Utilissimum est, proprias interdum interrumpere devotiones, quando ita Confessario videtur.

16. Si

16. Si quando accidat, ut consuetam jubeat Confessarius in aliud differri tempus Communionem, jussaque nolit obsequi persona, sed firma in proposito perseveret suo, sentiatque de mandato tali displicentiam; id quidem exigua est devotio, sed illustre pertinaciæ signum modicæque mortificationis ac superbiæ; quo indignissimam scilicet se se tanto reddit Sacramento.

17. Qui propriam scit refrenare voluntatem, & sua suæ animæ negare desideria, in præalto virtutis gradu est. Nescire autem id, nec curare discere; est secum infinitarum circumferre seminarium tentationum; & hic talis pronissimus ad indignationẽ est; amicitias rumpit facillimè; & rarò lætus, sed ut plurimùm melancholicus & turbulentus est ob ea, quæ ipsi accidunt.

18. Non est certum interioris devotionis signum, exterior; ne ipsæ quidem lachry-

lachrymæ. Nam etiam fœminæ non bonæ lachrymantur facillimè, nec eò tamen sanctæ sunt.

19. Si quis repulsam patiatur apud Principes aut Superiores, id ne ægrè ferat, nec ullũ forinsecus signum det indignationis, sed ad eosdem redeat cum eadem vultus liberalitate, omnemq; illis suscipionem extorqueat, animi eâ repulsâ exulcerati.

20. Si quando expediret personã Principem notabilis defectus commonefieri, consultiùs esset, corrigere in speciem personam tertiam; quod ita faciliùs ac suavius pro se eam acciperet correctionem persona Princeps; nec ita indignaretur, quòd in se alius sibi sumere magisterium audeat.

21. Qui sibi ab alijs vult multum obediri, imperet parùm.

22. Obedire sine discursu, certoque sibi persuadere, id quod imperatur, esse eorum, quæ possit facere, optimum; optima

ma est obedientia. Et qui in aliqua Congregatione est, debet ad obediendum esse longè promptissimus, & res omnes alias propter communes relinquere.

23. Non sufficit, solùm honorare Superiores, honorandi insuper sunt & æquales, imò inferiores, & omnes ut tutè honore prævenias, conandum est.

24. Fugere omne genus singularitatis, ad virtutem pertinet, nec prætēdere sese aut esse plus alijs, aut alijs plus facere.

25. Raptus, extases & lacrymæ palàm ante oculos plurium, suspecta sunt. Nam gratia amat umbram & recessum cordis, nisi aliud utilitas proximi exigat; natura verò propriam quærit excellentiā, amatque videri palàm & monstrari.

26. In bono ne tarderis. Nam nec mors tardatur; & beatus juvenis, cui tempus ad bene operandum concedit Deus.

27. Otium, res pestilens homini Christiano est; ac propterea semper quid agendum esset, maximè cum quis solus in cubiculo

biculo eſt: ut vel legendus liber quispiam ſpiritualis, vel vitæ Sanctorum, vel Scriptura ſacra, vel dicēda corona, vel componendi libri, vel ſternendus lectus, vel quid ſimile: ne quis à dæmone inveniatur otioſus.

28. Ad perſequendā virtutis viam non modicum conducit, cogitare; non eſſe ullum in hac vita purgatorium, ſed vel cœlum, vel infernum. Nam is, qvi ſervit Deo ſeriò, omnem ſibi crucem & afflictionem vertit in gaudium & conſolationē, habetq; ſuum interius paradiſum; ſed qui contrariū facit, ſenſusq; ſequitur; habet in hoc & in altero mundo infernum.

29. Frequens peccatorum confeſſio, animæ noſtræ magnorū eſt occaſio bonorum, quod ipſam expurgat, ſanat, & & in divino confirmat ſervito: ac propterea nunquam deſtinato tempore, quocunq; etiam ſeſe ingerente impedimento, eſſet intermittenda; ſed prius confitendum: inde negotium aggre-

diendum

diendum, quod utique tali cum auxilio feliciùs expediatur.

30. Melancholia animiq; conturbatio non parum adfert spiritui nocumenti; cùm lætitia contrà confortet cor, multumque juvet perseverantiam in bona vita. Quo circà continenter deberet esse animo hilari serenoque servus Dei.

31. Scrupuli, quòd inquietant animum redduntq; melancholicum, studio omni ac industrià fugiantur.

32. Non debent gratiæ, quales sunt sanitas, divitiæ, prosperitas & si quæ similes, à Deo peti absolutè, sed conditionatè, si videlicet ita Deo placeat, utilesq; sint, & non noxiæ petenti.

33. Si quam interiorem gratiam concedat Deus, nulli ea, præterquam Patri spirituali manifestanda est; alioquin perditur.

34. Qui inserviturus ægroto est, ægrotum illum, ipsum putet esse Christum; & quicquid operæ ægroto navaverit,

ipſi ſe putet navare Chriſto; quia ita & majori cum amore præſtatur eâ opera & profectu.

35. Cum boni quidpiam ab altero factum, alter aliquis ſibi attribuit indeq; gloriatur; vehementer gaudere debet is, qui illud opus navavit bonum, idque in beneficijs divinis ponere, quòd alius id ipſi apud homines ſuffuretur; quia ſic idem illud majore cum merito recuperaverit apud Deum.

36. Peſsimè facit, qui ſibi confidit; & is, qui ſeſe in peccandi conjicit occaſiones, dicendo: non labar; labitur plerumque majore cum damno animæ ſuæ. Ideò qui non vult labi, non debet ſibi confidere, & de ſuis præſumere viribus, ſed Domino dicere: Ne mihi confidas Domine; neu aliud à me, quàm peccatum expectes: ni mihi ſis auxilio, labar certiſſimo.

37. Juvenes, ad removendum magis à ſe periculũ impuritatis omne, omnem vel

vel minimam peccati hujus debent declinare occasionem. Ideò non probabat Sanctus hic, ut sui filij spirituales, se alter alterum contingerét, ne secundùm manus quidem; & ne quidem joco.

38. Cum anima in DEI est resignata manus, divinoque contenta beneplacito: est in manibus bonis, multumque de felici secura successu. Et convenit valde ægrotanti, esse resignatum, Deoque dicere: Domine si quid me velis, ecce præstò sum, quanquam nil boni feci: fac me & de me statue, quicquid tibi arriserit.

39. Qui aliud quid vult, quàm Christum; non scit, quid velit: qui aliud quid petit, quàm Christum, non scit quid petat: qui alium ob finem, quàm propter Christum laborat, non scit quid faciat.

40. Nulli rerum creatarum, quamcunq; exigua illa sit ac vilis, adhærescendum est, sed in humilitate inter creaturas conversandum, talisque desiderandus status, in quo unius etiam egeas Julij,

nec cum tamen acquiras mendicando.

41. Nunquam consequetur Spiritum, qui cupidus habendi est.

42. Decem personæ, mundanis extricatæ lucris ac commodis, totum converterent mundum.

43. Anima, quæ se totam dedicat Deo, Dei est tota.

44. Amor, quem quis superfluum parentibus, sanguini, studijs, vel sibi impendit ipsi, totus eripitur Deo.

45. Qui DEum amore amat vero, ipsumque super omnia æstimat, sentit interdum profluentiam lachrymarum concursumq; gratiarum eá abundantiâ, ut cogatur exclamare: Satis est, Domine, sine me.

46. Pro se quisque nec locum habere debet nec tempus, cùm proximus adjuvandus est. Et suos deserere gustus, oratiunculasque propter proximum, est CHristum propter CHristum deserere. Estque ea perfectio non vulgaris, id quod pauci nôrunt.

47. Cum servus Dei non habet quas patiatur tribulationes ullas, neque est, qui ipsum persequatur injuriave afficiat, si suum sibi augere velit spiritum, fingat animo &cogitatione nebulonem aliquē, qui illi obvius convitia faciat,probra ingerat, verbisque injurijs facta insuper adjungat immania, salutet scipione, gladio feriat, pugnis ad livorem usque satiet: atque ita pessimè habitus, magno chatitatis ardore, ad exemplum Servatoris, inducat animum, ad acceptam injuriam autori condonandam, pacatisque qui fortè insurgerent,iræ atque indignationis fluctibus, omniq; posthabitâ vindictâ,amore Dei, heroā illi ignoscat charitate,non secus atque si eam reapse injuriam accepisset. Quo exercitio paulatim assuefit animus, ad veras etiam injurias faciliùs ignoscendas, ut miles, qui in sciamachijs exercetur & pugnis umbratilibus,ad regendum gladiū assuefacit sensim manum, artemque addiscit,

quâ post utatur etiã, cũ seriò pugnãdũ est.

48. Servo Dei necessaria est patientia. Nec debet quis angi tribulationibus, sed æquanimiter expectare consolationem. Nam Deus ullam unquam immittit crucem, à qua non etiam immittat consolationem. Et loquendo summatim: vita servorum Dei aliud non est, ac crux & consolatio alterna.

49. Illi, qui immissam à Deo non fert æquanimiter crucem, verè potest occini: tu non es dignus, quem visitet Deus, nec tantum mereris bonum.

50. Cum cruces in nos, morbi, & quæcunque alia adversitatum ac contrariorũ genera invadunt, non sunt ea timidè fugienda, sed fortiter devincenda. Nam si unam tu quidem effugis crucem, incides in pejorem aliam. Et qui pruinã declinat, obruetur à nivibus; & qui evadit ab Urso, incurret in Leonem.

51. Cùm ad sumendum in S. Communione gloriosum Christi Domini Corpus, in

in quo omnes cœli deliciæ ſunt abſconditæ, accedit ſervus Dei; ſtet in timore, & præparet ſe ſolito amplius ad obventuras tentationes. Otioſas enim non patitur Deus mirabiles has gratias, quas in illo Divino diſtribuit Sacramento. Plus enim gratia horret otium, quàm vacuum natura.

52. Cum quis novum in anima ſua atque extraordinarium ſentit ſpiritum devotionis, præparet ſe, ob dictam rationem, ad tentationem aliquam atque crucem. Inſuper & cum quis ardorem advertit ſpiritus, petat à Domino vires, ut ſufferre poſsit omne id, quod illi à cælo ferendum imponetur; & ne à tentationibus in peccatum aliquod nec grave nec leve præcipitetur.

53. Si quis quæreret, quænam maxima crux ſervo Dei poſsit accidere? Rẽſponderi poſſet ; Crucem ipſius eſſe maximam, omni carere cruce.

54. Caveant ſibi, juvenes quidemt à

peccato carnis; ſenes verò, avaritiæ. Fugiendo illud, iſtud vincitur reſiſtendo.

55. Semper timendum, & nunquam ſibi confidendum eſt; quia dæmon ex improviſo adoritur & tenebris involuit intellectum; quique non timet, victus eſt: nam nudus auxilio Dei eſt.

56. In tentationibus, quas libido corporis ſuggerit, confeſtim ad DEum recurrat tentatus, ſignumque S. Crucis ter imprimat pectori, & dicat: Chriſte Filij Dei, miſerere mei. Vel verſum: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandûm me feſtina. Vel, Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. & oſculatus tertam dicat tentatori: accuſabo te ante Patrem meum ſpiritualem, ſi me diutiùs tentaveris..

57. Contra tentationes, quando eæ noctu ſolent efferueſcere, valde utile eſt, antè recitare, quàm cubitum te conferas, hymnum: Te lucis ante terminum.

58. Qui orare nescit, non novit Deum.

59. Nihil utilius homini oratione est, & absque ipsa non diu in via spiritus perduraveris. Propterea indies ad hoc potentissimum salutis medium recurrendum est, tamen non absque Confessarij arbitratu.

60. Homo, qui non orat, brutum est.

61. Salutis nostræ juratus hostis, nil aliud magis timet, nec odit plùs, nec amplius quàm orationē, conatur impedire.

62. Inter orandum non ita affigantur oculi corporales imagini cupiam, ut ab ea nunquam avellātur, sic enim cerebro noceretur. Memoriæ tamen poterit imago inservire, ut eò faciliùs nobis in mentem veniat, v.g. Incarnationis Verbi, vel Nativitatis Christi, vel ejusdem in cruce mortis. Quod si Sancti alicujus Sanctævé ea imago sit; proderit, ut eorundem virtutes ad imitandum meminerimus, eosque deprecemur, ut pro nobis apud Deum intercedant.

63. Legisse Sanctorum vitas plurimùm

juvat orationem, & quando ſpiritus ad easdem inclinat meditandas, meditandæ ſunt, & quando ad conſiderandam paſſionem Domini, conſideranda eſt. Nec ſecus ac impellit ſpiritus, aut orandum, aut meditandum eſt.

64. Orationem vehementer conturbare ſolent ea, quæ ſuperveniunt, phantaſmata, multique eam ob irruentium cogitationum moleſtias intermittunt, id quod neutiquam probem. Nam, non obſtante quacunque phantaſiâ, quamdiu poteſt, in oratione perſeverandum eſt. & ſæpè Deus concedit in momento, quod plurimo non potuit tempore obtineri.

65. Inter alia, quæ à Deo petenda ſunt, eſt perſeverantia in bonis operibus & ſyncero ſervitio Dei. Si enim patientia haberetur, & in cœptâ ſemel duraretur bonâ vitâ, ſpiritus multò maximus acquireretur.

66. Solet perſæpè in primâ animæ ad Deum converſione vehemèns ac fortis affluere ſpiritus, & poſt videtur eva-

nescere, quasi animam deservisset Deus: sed magnanimum esse constantemque oportet; redibit enim.

67. Vix unquam mori servos permittit suos Deus, quin eos indicio aliquo mortis præmoneat imminentis; vel certè spiritum ipsis antè extraordinariũ communicet.

68. Vitæ spiritualis gradus sunt tres: primus dicitur vita animalis; alter humana, tertius Angelica. Id est, solet in principio Dominus ad attrahendas ad se animas, demulcere eas dulcedine quadam certisque spiritibus ac gustibus extraordinarijs, & post fingit se longius ire, retrahendo manum suam sanctissimam ab earum dulcedinum communicatione, ut videat animarum in spiritu constantiam, sinitque eas tantisper pugnare ac confligere, donec ubi aliquamdiu fortiter restiterint vicerintque tribulationes suas ac tentationes, reconcedat illis priorum gustum ac consolationum cælestium etiam alterum tantùm.

Et hæc eſt vita Angelica, in qua nec crux, nec faſtidium ſentitur ullum.

69. Sanctorum cuicunque deſiderare præcellere ſanctitate, id quidem non eſt ſuperbiæ. Nam deſiderare ſanctum eſſe, eſt deſiderium amandi honorandiq; Dei ſuper omnia, quod in infinitum etiam, ſi quidem poſſet, extendi ac dilatari deberet. Amore enim infinito, cum infinita ejus ſit majeſtas, dignus eſt Deus.

70. Nunquam propriâ ſtandum prudentiâ eſt, ſed ubique conſilium à Confeſſario capiendum, uti & preces ſingulorum expoſcendæ.

71. Ad perſèverandum in vita bona, ſanctoque Dei ſervitio, frequens neceſſaria, eſt Confeſsio ac Communio, & bonæ praxes etiam ad hoc non parum adferunt adjumenti.

72. Pro gratijs per orationem obtinendis eousque continuandæ preces ſunt, dum perfectè, quod petitur, impetretur. Nam ſæpè ſuſpensâ oratione, ſuſpendit gratiam & Deus. Quare ſi ægrotus per

orationem meliusculè cœperit habere, non eò remittenda est oratio. Nam sicut cœpit per orationē sanitas, ita per ejusdem vires debet redintegrari.

73. Cùm quis inter orādū magnā persentiscit spiritûs quietē, bonum id signū est aut cōcessæ, aut cōtedēdæ à Deo grat.

74. Multi, postquam carnales intra se aliasve adverterint tentationes, subdubitant, consenserintne, necne? Ideò si persona, quæ passa tentationem est, amorem sentiat ergà virtutem illam, quam tentatio oppugnârat, odiumque in idem illud vitium suggestum; bonum est signum dissensus. Item si jurare non auderet, consensisse se, signum est & istud dissensus. Nam consensum deliberatum anima facillimè advertit.

75. A tentatione non nimis disquirendum, consensumne sit necne? nā hujusmodi disquisitio, carnalem facilè renovat tentationem.

76. Timendæ sunt tentationes carna-

 les,

les, etiam in invaletudine, & ipsâ etiam senectâ, quamdiu possunt claudi palpebræ & aperiri. Nam fornicationis spirit9 nulli nec tempori parcit, nec personæ.

77. Si servus Dei tot inter ubique laqueos cum majori velit transire securitate, pro Patrona apud filium eligat Virginem Beatam, & si non possit Rosarium percurrere; hanc dicat, loco Ave Maria, orationem: Virgo Maria Mater Dei, ora pro me JEsum.

78. Suppellex templi parcè, nec nisi cogente necessitate expendēda est, quod suppellex Dei est.

79. Perutilis quidem est servo DEi lætitia, sed fugienda dissolutio, cavendusque spiritus scurrilis & nugatorius. Nam qui scurrilitate delectantur & nugis, reddunt se divini spiritus incapaces. & si quid boni intra se possidēt, id brevi profūdēt.

80. Cum sacerdos invisit ægrum, ne agat Prophetam, dicendo, non convaliturum ex morbo ægrum. Nam prædictâ morte recuperatâq; ab ægro valetudine,

ſentiri poteſt diſplicentia, quòd non ſucceſſerit prophetia.

81. Electio Confeſſarij maturo inſtitui debet conſilio. Nam vitæ difficilis ducem habere expertum, non modicum lucrum eſt, aſt electus ſemel ne temerè mutetur; ſed fides illi habeatur, & quæcunque acciderint, cum illo conferātur.

82. Ad majorem è Sanctorum vitis alijsve libris ſpiritualibus profectū haur iendum, non ſunt ij curiosè, ſed pedetentim ſtudioſèque perlegendi: cumque quis jam ſe compungi ſentit, aut aliquid in ſe accendi devotionis, non eſt ulterius pergendum, ſed ſubſiſtendum expectandumque ac ſpiritus deguſtandus eſt; cumque exſpirare occœperit, ad lectionem redeundum.

83. Ad bene orandum debet priùs anima profundiſsimè ſubmittere ſeſe ac humiliare, indignamq; agnoſcere, quæ ſtet in tantæ conſpectu majeſtatis; & ſuam Deo monſtrare inopiam, indigentiā atq;

 impo-

impotentiam;& sic se humiliatā projicere in Deum, Deus enim illā orare docebit.

84. Cum quis amaro est animo totusque stomachabundus, vel sentit appetitus sensuales, molestos eos ac perfrequentes; ne concidat aut fatiscat. Nam cùm Deus certam alicui largiri constituit virtutem, permittit eum contrario oppugnari vitio; ut confligendo resistendoq; capacē se illi9, quam propugnabat, reddat virtutis.

85. Alienum à ratione est, bonum aliquod omittere opus, eò quod inde vana gloria sentiatur. Nam quādiu vana gloria non est ipsius domina operis, sed quasi quædam duntaxat comes & socia, non tollit suum operi meritū; quanquam perfectio requirat, ut in servitutē redigatur.

86. Qui Religionem cogitat, discat suam ante frangere voluntatem in iis, in quib9 majorem sentit difficultatē. Namque ita facil9 in Ordine perduratur9 est.

87. Cum quis ex proprio motu & voluntate statuit apud se, jejunare, corpus flagris cædere, portare cilicinas vestes, &

si qua similia; id vero Confessario improbatur: non debet ab eodem violentè licentià extorqueri.

88. Maneat quisque domi suæ, id est, intra seipsum: neu sit Syndicus & judex actionum, vitæque alienæ: nisi aut judicare temerariè, aut murmurare, aut velit alios contemnere.

89. Qui adhuc tyro est in spiritu, ne quærat alios convertere, sed attendat sibi seque confirmet, ac contra tentationum tempestates præmuniat, sitque humilis, neu credat magnũ quid fecisse se, imò nil fecisse putet, ne eat præceps in superbiam.

90. Scrupulosi debent se omnino suo subjicere Patri spirituali, nec suo credere judicio, alioquin nunquam liberabuntur. Habere quidem poterunt inducias, non verò pacem.

91. Servus Dei debet esse resignatus tam ad gustuum in rebus divinis copiam, quam ad eorundem inopiam, tam ad lætitiam, quam acediam degustandam.

 92. Res

92. Res eſt ingentis plena periculi perſonis ſpiritualibus, deſiderare viſiones, & plurimi hunc talem ſpiritum conſectati, in immanem præcipitati ſunt ruinam.

93. Ad perſonam, quæ poſt diuturnum virtutis ſtudium in peccatum aliquod lapſa eſt, erigendam, inque priſtinum reſtituendam ſtatum, medium haud eſt certius, quàm inducere eandem, ad ſolennem aliquã mortificationẽ ſui, v.g. ut hunc lapſum ſuum alijs magnæ probatæq; virtutis, quibus confidit, aperiat. Nam Deus illam hujus heroicæ humilitatis gratiâ, in priorem reſtituet ſtatum.

94. Unusquisq; propriæ debet quietem conſcientiæ procurare: ac propterea ſi quando quis votum aliquod ſuſcipere cogitaret, conſulebat hic Sanctus, ut plerumque cum adjecta conditione, v.g. ſi potero, ſi fuero recordatus, vel ſimili, conciperetur.

95. Debemus nos proſus in manus Dei reſignare. Nam ſi quid à nobis deſiderârit Deus: faciet nos in eo, in quo

nostra volet uti operâ, præclaros atque excellentes.

96. Qui se Religiosus in Ordine advertit dissoluto, siquidem inflammatum in se ad omnem perfectionẽ sentiat spiritum: non debet, deserto suo, alium intrare Ordinem, sed in eo, in quo est perseverare. Nam Deus vult ipsius uti operâ, ad propriam bono ejus exemplo Religionem instaurandam.

97. Defectus naturales, uti sunt, esse claudum, strabonem, & id genus alij, nulli debent exprobrari.

98. Ne nimium sis præceps ad commonendos defectuum ac imperfectionum Fratres, sed prius te ipsum post alios considera. Utere item prudentiâ.

99. Taliter deberet unusquisq; & tam sanctè indies vivere, itaque omnes suas instituere actiones, atque si is dies vitæ ejus foret postremus.

100. Omnes personæ amore amentur vero; nec unquam ob quæpiam verba in

te effusa, haustasque displicentias odium in aliquem fove, quia in quo corde non est amor proximi, in eo etiã Deus non est.

101. Qui sibi tristitiæ nebulas oboriri animadvertit, ne eò turbetur, brevi enim evanescent: interim tamen ad dispellendam inordinatã illam passionẽ, orãdum est aliquid, aut hymnus quispiam spiritualis decantandus.

102. Ad præstandam Superioribꝰ obedientiam promptum esse oportet, & ad alienam magis, quàm propriam exequẽdam voluntatem.

103. Qui primum sibi in cœlis locum desiderat à Christo, delectet se semper in terris ultimo loco, & si quis sui non esse habitam advertit rationẽ, agat Deo gratias, speretque suum sibi in cœlos honorem iri asservatum.

104. In meliorem partem accipiamus omnia, nec facta aliena dijudicemus. Misereat item nos defectuum alienorum, certos, lapsuros nos longè graviùs, nisi à Deo singulariter fulciremur. Et qui

donū aliquod dotemve notat in se, ne inde superbia intumescat, sed Deo, à quo omne emanat bonū debitas agat gratias.

105. Quærendus ibi Christus est, ubi non est, id est, in cruce & tribulationibus: ubi Redemptor, utpote gloriâ coronatus, modò non invenitur. Interim qui affligitur, ne indulgeat querelis, cùm tribulationes nobis à Deo amantissimo Patre nostro Dominoque clementissimo, non nisi ad majorem in cælo coronam promerendam immittantur.

106. Quotidie legatur aliquantulum de libro quopiam spirituali, memoriæq; singularis inde aliqua sententia, in majorem animæ profectum infigatur.

107. Cum quidpiam emendum erit, id non ex affectu ergà rem, sed ex indigentia atque usu faciendū est. Unde Sanctus dictitabat: ego non emo affectus.

108. Communionis sacræ tempore remedium à Deo petendum est illi præcipuè vitio, ad quod quis se magis sentit trahi atque inclinari.

109. Cum quis Altaria visitat petat à Sanctis, quibus ea dicata sunt, eleemosynam spiritualem; cùm valde apta sit hæc ratio spiritûs ac devotionis excitandæ.

Atque hæc & ijs etiã plura erant Sancti hujus documenta; & tale lumen illi Deus, ad gentes in hoc caliginoso mundi deserto illuminandas concesserat, quo tot personas, quæ in umbra mortis sedebant illustravit, suisque erroribus extricavit. Sed omnia hæc sunt tantùm paucæ quædam guttulæ ex fonte illo uberrimo, quem Deus in ipso excitârat, & quo arida populorum corda irrigabat, ut in ijs æternitas beata germinaret.

ORATIONES JACULATORIÆ S. PHILIPPI NEREI.

Sicut tu scis ac vis, ita fac mecum Domine. (& hanc dicebat, si quam, absolutissimam esse orationem.)

Id de me fiet, quod Deo placet: confido Deo.

O lumen luminum illumina mentem meam.

Non possũ amare te, nisi tu Domine adiuves me.

Vellem

Vellē tandē aliquando semel amare te IEsu mi.

Non cognosco te, Domine; quia non quæro te ex corde.

Quæro te, Domine & non scio invenire te, quia non scio quærere te.

Si cognoscerem te, ô Deus cordis mei; cognoscerem etiam me ipsum.

Accende, Domine, in medio cordis mei flammam viuam amoris tui beatissimi.

Da mihi gratiam, IESV mi, vt veniam ad te, non timore coactus, sed amore tractus.

Quando erit illa dies, bone Domine, vt amem te solum, idq; amore filiali?

Quid possum facere pro te, ô Domine! amare te, & facere id, quod placet tibi.

Doce me facere voluntatem tuam, Deus meus; doce me.

Nolo aliud, ac sanctam tuam Domine mi, facere voluntatem.

Fiat, vti fit in coelo, sic in terris etiam voluntas tua.

Quare abscondis te, Deus, ab oculis meis? Virtus mea infirmata est; responde tu pro me Domine, qui potes.

Deus in adiutorinm meum intende; Domine ad adiuuandum me festina.

Nil possum boni facere sine tuo, ô benignissime IESV, auxilio.

Cadam, Domine, si tardas te cum succursu.

Auffer Domine impedimenta omnia, si vis ut veniam ad te.

Tu es via, veritas, & vita, ô Domine mi.

Mihimet diffido ipsi, & tibi Domine confido soli.

O Saluator IESV, ô IESV salva cor meum.

Obliuiscere Domine mi, meorum omnium peccatorum.

O Sanctissima Trinitas, vnus & verus Deus, miserere mei.

Si omnia in mundo bona solus ego facerem, quid istud tandem esset!

Benedicta Domina, hanc mihi præsta gratiã, vt tui memor sim semper.

Virgo & Mater; Mater & Virgo!

Virgo Maria, Mater Dei, ora IESVM, tuum pro me Filium.

Hanc orationem persæpè dicebat S. Pater, utpotè qui extra ordinariâ deuotione in SSm. Virginem ferretur; docebatque eam alios, maximè vt eam loco Aue Maria dicerent, in defectu temporis pro Rosario orando, dictitabatq; amari eos ac diligi à Virgine Sanctissima, à quibus diceretur Virgo & Mater Dei, & à quibus prius benedictum Nomen IESV eius Filii, quam ipsa nominaretur.

FINIS.

